



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Pars Secvnda. Exercitia artésve nonnullæ, ad memoriam ac reverentiam
passionis Christi spectantes, & in actibus exterioribus præsertim
consistentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

P A R S II.

Exercitia artésve nonnullæ, ad
memoriam ac reverentiam passionis Christi
spectantes, & in actibus exterioribus
præsertim consistentes.

C A P U T I.

*Arsiduum usum signi crucis ad passionis Christi
memoriam ac reverentiam multum conferre.*

§. I.

*Signi crucis usum primis Christianis, multò quàm nobis
familiariorem fuisse.*



Rebra signi crucis ex more Christiano
usurpatio, non exiguum usum habere potest,
ad alendam in nobis renovandamq; passionis
Dominicæ memoriam: præsertim autem, si
non leviter aut defunctoriè, sed cum aliqua attentione ani-
mi ac reverentia (prout par est) usurpetur & conformetur.

Veteres certè Christiani eum usum, non dicam fami-
liarem, sed propè assiduum habuere. *Ad omnem progressum
atque promotum (inquit de suo ævo Tertullianus) ad omnem
aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad
mensam, ad lumina, ad cubilia, quacung; nos conversatio exer-
cet, frontem crucis signaculo terimus.* Eademq; omnia duo-
bus verbis complexus Hieronymus, dilectam sibi Eustochi-
um admonet: *Ad omnem actum, ad omnem incessum manus
pin; at crucem.* Et ante illum generalissimè S. Cyrillus Jero-
solymi-

*De coron.
mil. c. 3.*

Ep. 22.

O
Francisci Le Roy Occup. circa Crucif. Pars II.

Catech. 4. solymitanus: *Fac hoc signum* (inquit) *& manducans & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, in summa, in omni tuo negotio.*

Nec committere debet Christi crucifixi amator (etiam mores nostri non nihil à prisca illa & exacta pietate desciverint) ut non saltem ad actus vitæ primarios, ut si lectulo se committit, aut ab eo surgit; si mensæ accumbit, aut ab ea recedit, si novi operis aliquid suscipit, si domo egreditur, si horæ signum audit, signo crucis sese communiat; eoq; usu familiari, tum passionis ac mortis Christi admoneatur, tum ea ipsa quæ suscipit opera, in nomine JESU & ad DEI gloriam esse faciendâ.

Qua in re profectò non leviter culpanda videtur illarum quorundam, & nonnullis locis, nobilium præsertim, rei maximè salutaris (ut mollissimè loquar) incuria: qui, quasi se Christianos esse oblitii sint, aut id apertè profiteri erubescant, nullâ precatone, & ne crucis quidem signo præmissò, ad convalescendum prosiliant: cùm olim etiam vigente sæva Juliani Apostatæ persecutione, ipsi quoque milites Christiani signum crucis ad mensam palam adhiberent; uti specialiter à S. Gregorio Nazianzeno oratione primâ in Julianum, est annotatum.

Non omittat etiam Christianus (quod hujus præceptionis pars quædam est) in suarum epistolarum capite, aut ad singularum pagellarum frontem, signum crucis vel sacrum Jesu nomen religiosè appingere. Quod Raymundus Lullus (ut de ipso legere memini) cùm à varijs Christianis prætermitti animadverteret,angebatur scilicet animo; detestans nos, hac quidem in parte, esse Mahometi sequacibus deteriores: quippe his ex suæ superstitionis instituto, scriptorum suorum principia, impuri sui Prophetæ nomine, studiosè insignientibus; turpe videri nos, adversus DEI & Domini nostri Jesu Christi nomen, ejusve crucem sanctissimam minùs religiosos esse.

Neque

Neque verò recentis inventi est, ut Christi nomen præfigamus nostris litteris; cum suo jam ævo id usu receptum, inter fideles, luculentè testetur S. Joannes Chryostomus, ad illa verba Apostoli: *Omne quodcumque facitis in verbo & in opere, omnia in nomine Domini IESV Christi. Et ideo nos quoque (inquit S. Doctor) in epistolis nomen Domini præponimus. Ubi fuerit nomen Domini, omnia sunt fausta & felicia. Nam si Consulum nomina efficiunt, ut firmæ & validæ sint litteræ; multò magis nomen Christi.* Hæc Chryostomus. Quod autem huc propriè facit: in more habuit S. Catharina Senensis Crucifixi nomen suis litteris præponere, eas omnes sic inscribendo: *In nomine IESV crucifixi, & dulcis MARIE:* uti observare est in volumine epistolarum ejus. Atque de B. Venturino Bergomensis tradit Leander in Historia de Viris illustribus Ordinis S. Dominici; eum ad frontem suarum litterarum præfixisse: *IESVS amor meus;* vel quid simile: ad calcem autem passionis Christi insignia, columnam, crucem, lanceam, clavos, manu suâ appinxisse.

Ad extremum placet his asserere; quod 8. Nov. in Actis SS. Claudij, Nicostrati & sociorum Martyrum legimus; eos videlicet, cum essent quadraturis marmorum intenti, artem suam signo crucis munire solitos: quod non eo sensu duntaxat dictum accipiemus, quasi nuda manu super opus suum (aut artis instrumenta) crucem ducerent, laboremq; suum eâ consignatione consecrarent, sed ita fortassis, ut in ijs ipsis quæ conquadrent marmoribus, cruceis signum scalpri incidere: quo modo subinde videmus ejusmodi artifices, opus suum notâ sibi propriâ insignire. Eum quippe sensum tum ipsa patitur oratio, in qua artis nomine venire possunt etiam ipsa opera artis, seu marmora ipsa secundum artem elaborata: tum usus svadet aliorum id temporis Christianorum, cujus usque hodie Romæ in Thermis Diocletianicis testes esse feruntur, scalæ cujusdam gradus varij, eâ insculptâ

Col. 30

Lib. 9.

salutis tesserâ insigniti. Testaturq; Octavius Pancirollus in suis Thesauris absconditis, parte quâdam earum Thermarum suo tempore collapsa, in ipsis ruinis repertos lateres, itidem signo crucis impressos.

§. 2.

Eodem signo sensus omnes nostros, ipsumq; cor crebrè muniendum esse.

Veruntamen ut ad majorum nostrorum in proposito mores redeam; non solum seipsos crucis signaculo, à fronte ad pectus, & ab humero ad humerum producto signabant, uti nunc usu frequentiore receptum est: sed ipsos sensus ac membra præcipua, frontem, oculos, aures, os, cor & ejusmodi (pollice fortassis sigillatim crucem formantes; uti nunc ad Evangelium præscripto ritu facimus, & quidam etiamnum populi varijs occasionibus usurpant) peculiari- ter insignire consueverunt. Sive ut cogitatus omnes & actus suos eâ adhibitâ salutis notâ consecrarent; sive eâ tanquam Christianæ militiæ tesserâ sese adversus omnes hostiles incurfus munirent: fatis gnari, quod olim cælesti scripturâ (stellis videlicet, Iridis instar, crucem in aère apparentem cingentibus, & ad ipsos litterarum characteres formando coëuntibus) Magno Constantino monstratum; sibi in hoc signo vincendum esse: neque illud magis adversus hostes corporeos, quàm contra incorporeos & inaspectabiles vim obtinere.

*Philostomus
l. 2. c. 6.
Ni. eph. 1. 8
c. 3.*

*Tract. 11.
in Ioan. 8. c.*

Ep. 27.

De fronte signanda, sive (ut S. Augustinus loquitur) de cruce Christi in fronte portanda, frequentissima apud Sanctos Patres mentio est. S. Paula moriens, cum jam precantem vox deficeret, digitum ad os tenens *crucis signum* pingebat in labijs, teste S. Hieronymo in ipsius Epitaphio. Sanctam item Macrinam Virginem, sibi sub mortem, oculos

os, & cor signo crucis appposito munivisse, testatur loco infra citando S. Gregorius Nyssenus. Cùm, vocante somno, cubile petimus, admonet Poëta Prudentius, etiam locum cordis, crucis figurâ signandum. Tandemq; generatim hortatur B. Ephrem; ut pingamus in frontibus nostris, & oculis, & in ore, ac pectore, atque in membris omnibus vivificum hoc signum.

Estq; in primis salutare, (id etiam testante S. Gregorio Nazianzeno) sive noxijs repellendis, sive sanctis accersendis cogitationibus, impressâ pectori crucis figurâ (quod facile factu est, etiam alijs minimè sentientibus) cor sibi identidem obsignare: ut ista etiam ratione (quod ait Ulgo Cardinalis) CHRISTUS sit *signaculum cordis, ne affectio indigna surrepat.* Quod B. Petrus Damiani etiam expressius præcipit: *Cum pravam (inquiens) tibi met cogitationem esse persenseris, extento pollice protinus cor tuum signare festines.* Quod pertinet illud, quod de Venerabili Patre Volando, Conventus Ordinis S. Dominici Argentinae Priore accepimus. Is enim in humanis agens cùm assiduè ferè sibi crucem ductu pollicis depingere consuesset in pectore; ejus deinde ossa cùm effoderentur, inventa est in eo osse, quod medium pectoris obtinet & cui utrimque costæ cohærent, crux insignis ex substantia ossea, deq; eo quod dixi osse pectoris evidenter eminens; atque trium ejus superiorum partium extremitatibus in modum repandi lilij pulchrè recurvatis, accuratè elaborata: quam is, qui rem narrat ex eodem Ordine, Thomas Cantipratanus, testatur à se conspectam esse. Quod quidem ostento, nemo dubitavit, religiosam Viri pij pectus cruce signandi consuetudinem, ad posterorum informationem atq; incitationem, divinitus esse comprobata.

Ep. ad Olymp.

Cathem. Hymno 6.

Serm. de cruce.

Carm. ad iram.

Cant. 8.

Instit. Mo. n. c. 23.

L. 1. Apum c. 25.

CAPVT II.

In memoriam atq; honorem passionis CHRISTI,
preces aliquas extensis brachijs, ipsiq; corpore
in crucis formam composito, pro-
nunciare.

§. I.

Eum inter precandum, corporis habitum, veteris Ecclesie
moribus receptum fuisse.

Huc etiam pertinet id genus pij exercitij: quod ipsemet
Saluator suggessit ac mirifice commendavit B. Gertru-
di ejusq; religiosi sororibus; ut nempe orantes expansis
L. 4. c. 16. manibus, formam passionis suæ DEO Patri prætenderent,
pro emendatione totius Ecclesie, & in conjunctione illius
amoris, quo ipse in cruce pro nobis manus expandit. Quem
usum jam olim S. Pachomio familiarem fuisse, his verbis
816. c. 15. traditur in ejus vita: *Consueverat autem stans in oratione
manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minime col-
ligebat; sed extensione diuturna veluti cruci confixum corpus
retinebat immobile, & sic animum suum ad vigilandum in pre-
cibus excitabat.* Beatum quoque Ambrosium instante mor-
te, ab hora circiter undecima diei, usque ad illam horam qua
emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orasse; testis
est Paulinus in ejus vita. Et sanè primævos Christianos,
crucifixi in morem protensis brachijs, & manibus modicè
in cælum versus sublatis, preces fundere solitos; tum aliunde
apparet, tum ex antiquis Romanarum cryptarum seu cæ-
meteriorum subterraneorum monumentis, manifestum est;
ubi passim videre licet, hoc orantium habitu picturâ expres-
ses sexus utriusque Christianos.

Et

Et in hymno quodam de SS. Fructuoso Episcopo, ejusq; socijs in medio flammarum constitutis, testatur Aurelius Prudentius, membris illæsis, ijs excidisse vincula, quò liberas palmas & brachia in morem crucis (ita enim loquitur) ad DEUM precando levarent.

Quare quod, Timotheo scribens, præcipit Apostolus, de puris manibus levandis inter orandum; aut quod apud antiquos Ecclesiæ Scriptores legimus, Christianos expansis manibus DEUM precari consvesse, prout nominatim de SS. Virginibus Cæciliâ, Agnete, Agathâ, in ipsarum martyrij Actis traditur; non sic equidem accipiendum existimem, quasi solas manus, & non etiam brachia protenderent, itaq; scipfos ad DEUM expanderent, prout loquitur Tertullianus non uno loco: quod minùs congruè dictum utique videtur, si passis duntaxat, & verbi gratiâ ad pectus oppositis manibus, non item diductis brachijs, & moderatè saltem protensis, orassent.

Quemadmodum etiam, quod de Moyse inter orandum manus levante Exodi 17. legimus, plerique Patres in eum sensum intelligunt, ut etiam brachia crucis habitu protenderit, & Salvatoris de hostibus suis per crucem victoriam, Prøphético gestu atque imitatione prænuntiãrit. Ut enim ait inter alios S. Augustinus: *Manus ad calum extendit, jam tum figuram crucis CHRISTI ostendens*; atque (ut loquitur S. Prosper) *crucifixi instar exprimens*. Quin & Joannam in ventre ceti, sublati in crucis formam manibus, ad DEUM orasse, & inde virtutem attraxisse de cælo, tradit S. Andreas Cretensis; cujus ista sunt verba: *Elevavit aliquando Ionas vocem, manibus in crucis formam sublati, & statim virtutem ex alto attraxit, sine noxâ ex bellua ejetur*. Denique fideles sui temporis inter orandum sic manus porrexisset, ut crucis figuram imitarentur, apertè tradit Minutius Felix ita dicens: *Crucis signum est, & cum homo porrectis manibus DEUM purâ mente veneratur*.

Pre-

1. Tim. 2.

Infra, & l.

1. con. Marc.

c. 23.

De 5. hæres.

c. 3.

De promiss.

p. 1. c. 40.

Serm. 2. de

cruce.

In Oratione.

Precabantur igitur extensis brachijs veteres Christiani: sive eo gestu se desiderijs in cælum tendere (quò simul oculos intendebant) significarent; & quodammodo quasi alis expansis illuc volare gestirent: quam etiam istius ritus causam adfert Clemens Alexandrinus, addens ea propter, non tantùm manus aut caput in cælum extendisse, verùm etiam in ultima orationis acclamatione, hoc est (ut interpretari possumus) cùm ad solemnem orationis clausulam, *Amen* de more responderent, pedes excitasse, sive sustulisse à terra; quasi profiterentur se in cælum iter affectare, & ad illud promptos atque accinctos esse.

*L. 7. Strom.
c. 4.*

Sive (quæ altera est antiqui ritus, quem hic tradimus; ratio) eò corporis habitu prisca Christiani sese Domino suo conformantes, paratos atque expansos sese ostenderent ad ipsam crucem, & velut re ipsa nudum pectus corpusq; expeditum persecutorum telis atque tormentis obijcerent. Istam namque utramque causam proferre videtur de hoc ipso argumento agens Tertullianus in Apologetico, dum ita loquitur: *Illuc* (scilicet in cælum) *suspicientes Christiani, manibus expansis quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, precantes semper sumus.* Et infra: *Sic itaque nos ad DEVM expansos ungula fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestia insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* Expressius demum in rem præsentem libro de Oratione cap. II. *Nos verò* (inquit) *non attollimus tantùm* (manus scilicet) *sed etiam expandimus, & Dominicâ passione modulantes & orantes confitemur Christo.* Hæc Tertullianus.

cap. 30.

*lib. 1. de
cruce.*

Postremò etiam ad ipsam crucis imitationem & representationem respexisse, disertè testatur S. Maximus his verbis: *Ideo elevatis manibus orare precipimur, ut ipso quorundam membrorum gestu, passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm CHRISTUM, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* §. II.

§. 2.

Eundem usum in mores nostros meritò revocari posse.

Potes igitur, mi Lector, ad alendam in te Dominicæ passionis memoriam; sive privatim, & præsertim sub noctem priusquam cubitum concedas; sive etiam publicè, ubi id mos loci permiserit, ut in Religiosis cætibus, laudabilem illam primorum Christianorum religionem æmulari: nec sine ævi posterioris exemplis.

S. Franciscus (ut refert S. Bonaventura) aliquando inventus est, de nocte in silvis orans, extensis in formam crucis manibus, sublatus à terra, & nubeculâ fulgente circumfusus. S. Ludovicus Tolosanus Episcopus, etiam adolescens solebat Passionis Officium expansis brachijs pronuntiare. Venerabilis Maria Raggia ex tertio Ordine S. Dominici, priusquam lectulo se traderet, brachijs itidem ad modum crucis protensis, quinquies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitabat, pro ijs qui in extremo vitæ discrimine versarentur.

Mirabile magis quod de S. Homobono Veronensi cive proditur: qui appropinquante sui transitus horâ, cum in Ecclesiâ Missæ sacrificio interesset, & ante crucem flexis genibus DEO supplicaret; ad hymnum, *Gloria in excelsis DEO*, derepente manibus in terra extensis procubuit, & nemine sentiente, feliciter ad DEUM migravit. Ita Surius in vita.

Denique hoc in genere fidem propè superant, quæ S. Petrus Damiani de S. Dominico Loricato refert, extensis manibus præces prolixissimas & psalteria tota recitante; eodemque, miris & insolitis alijs artibus, CHRISTUM Dominum imitandi studio, corpusculum suum divexante: ut ei meritò vitæ ejus extremâ id elogij idem S. Petrus adscripserit: *Tota hæc vita facta sibi Parasceve crucis: illic autem æternam celebrat gloriam Resurrectionis.*

P

CAPUT III.

CAPVT III.

Crucis aut Crucifixi signum, è metallo aliave materia, ad cor appensum gestare.

§. I.

Ejus rei antiquum exemplum, & nova species proponitur

CUjus quidem rei antiquum habemus exemplum in S. Virgine Macrina, S. Basilij magni sorore: in cujus defunctæ corpore (ut testatur alter ejusdem frater germanus S. Gregorius Nyssenus, qui præsens aderat) inventum est crucis signum è ferro, atque annulus etiam è simili materia, habens in pala Ligni sanctæ crucis particulam: quæ quidem utraque monilis instar de Virginis collo suspensa, cordi ejus (inquit) semper adhærebant. Nimirum ut, juxta S. Martyrem Ignatium, Christi pretiosum monile sunt Virgines: ita illis pretiosum monile est CHRISTUS.

De annulo autem, considera, Virgo Crucifixo desponsa, num fortè in usus tuos transferre possis, quod à S. Birgitta factitatum, etiam religiosarum ejus sororum moribus institutoq; receptum est: annulum scilicet digito gestare, in cujus palâ, vice gemmæ, Crucifixi imago insculpta sit: ut sic CHRISTI passio assiduè tibi obversetur ob oculos; possisq; vicissim animæ tuæ Sponso dicere, illud Isaïæ 49. capite: *Ecce in manibus meis descripsi te.* Quibus verbis docti Interpretes allusum existimant ad morem id temporis receptum: dilectæ personæ effigiem in annulo expressam circumferendi; juxta ac si dicas: *Ecce in gemma annuli mei, quem in digitis habeo, tui imaginem ad vivum expressam circumfero; ut assiduè in conspectu meo sis, nec tui oblivisci possim, nisi obliviscar ipsius dexteræ meæ.*

Ac si, (ut Cicero Pliniusq; testantur) Epicuræ disciplinæ

plinae sequaces, ejus Philosophi vultus aut imaginem, tum alijs plerisque in rebus, tum etiam in annulis habebant, ut nec si cuperent, ejus liceret oblivisci: res magna non erit, si ij qui sese CHRISTI crucifixi sectatores amatoresq; profiteantur, simili aliquo officio, ejus memoriam secum circumferre, atque apud alios etiam celebrare, contendant. Denique & veteres Christianos crucis signo pro annulo aut sigillo usos, tradit Eusebius lib. 6. demonstrationis Evangelicae cap. 25.

Veruntamen quod ad crucis signum supra cor gestandum attinet; priscae religioni illud adjunxit, posterioris aevi solers & ingeniosa pietas; ut non jam nuda crux ad pectus appressa praeportetur, sed crucis aut Crucifixi ex aere sigillum super carne nuda atque ad ipsum cor gestetur ejusmodi, ut in aversa crucis parte, e quinque vulnerum locis, acutae cuspides non nihil extent & emineant; quae, ipso punctiois sensu, instar occulti sed efficacis monitoris, cruciatuum CHRISTI tum assiduam memoriam ingerant, tum nonnullam etiam experientiam & tanquam consensum adferant. Quae ratione olim P. Thomam Saillium e Societate nostra, crucem sesqui palmarem, cum quinque stimulis praecutis, ad pectus appressam continenter gestasse: & simile quiddam fecitasse Alexandrum Cardinalem Ursinum accepimus, Virum non magis splendore generis ac dignitatis, quam virtutum gloria illustrem. Estq; id multorum nunc usu atque imitatione vulgatum.

Verum hoc in genere admirandum magis quam imitandum B. Henrici Susonis facinus: qui palmarem e ligno crucem, triginta instructam istiusmodi aculeis, ad omnium Salvatoris vulnerum memoriam ac venerationem, inter scapulas, ipsos octo annos, dies noctesq; continenter gestavit; dum somnum caperet, super illa decumbens, illam crebro, seu pugno impacto, seu ad murum allisu, dolori augendo aut redintegrando sollicitans; adjunctis etiam extremo

Cic. l. 5. de
suib.
Plin. l. 3. 51
6. 20

Bibl. Scripto
See

Vit. c. 16.

tempore, ad eam aculeorum turbam, septem alijs immitibus acubus, memoriæ dolorum B. Virginis consecratis: quousq; tandem, eo sui cruciamento in posterum ut abstineret, divinitus admoneretur.

§. 2.

Crucifixum amantiū ausus quidam insoliti, neque imitationi nostræ facile subiiciendi.

Incredibilis, (& si facti naturam spectemus) temeritati proximum videbitur, quod subjungo. Fuisse videlicet nonnullos, qui ad insanum suum (ut ita loquar) in CHRISTUM amorem eo indicio demonstrandum, atque ad ejus crucis ac passionis memoriam cordi suo altius imprimendam, non jam supra cor aut pectus, crucem Domini è materia effictam gestarint, sed majori ausu, in ipsa carne sui pectoris ad ipsum cordis locum, acuto ferro altè inciderint & insculperint, ac velut signaculum cordi impressum omni deinceps vitâ retinuerint.

Quo in numero fuisse reperio; tum Simonem illum, Rodericium, unum è primis decem Societatis Jesu Patribus, qui crucis figuram palmari longitudine sibi ad modum dictum in pectore exsculperat, cicatricibus insigniter extantibus; tum jam memoratum Henricum Susonem, ardentem illum atque industrium Æternæ Sapientiæ, (cujus se Ministrum appellat) & propter CHRISTUM, cruciatuum amatorem; qui etiam integrum JESU nomen, notis profundis atque indelebilibus fertur sibi ipse inscripsisse supra cor, non sine multo sanguine ac cruciatu incredibili: id nimirum studiosè agentes, ut vel istis notis agnoscerentur veri servi Domini JESU CHRISTI, possentq; vel sic cum Apostolo dicere: *Ego stigmata Domini JESU in corpore meo porto.*

Cujus item stigmata, sed alio invento, S. Radegundem quondam

*Jo. Rhd.
hist. exemp.
li 3. c. 2.*

Vit. c. 5.

Gal. 6.

quondam Franciæ Reginam, sibi inuississe inuenio, quæ in Monasterio jam existens, aliquando sibi ex aurichalco, in signum CHRISTI (inquit Fortunatus) hoc est, ut interpretor, in formam crucis, curavit laminam: quam deinde probè accensam atque ignitam locis duobus sui corporis altè impressit, quò & ipsa eo inusta stigmate, insignem se CHRISTE crucifixi seruum profiteretur.

L. I. Vita.
6. 14.

Sed & Ioannem Baptistam Archintum adhuc adolescentem, & priusquam Ordini se nostro adungeret, simili studio ductum, sacra IESU & MARIÆ nomina candente ferro sibi inuississe in pectore; tradunt nostræ Societatis Annales. Quemadmodum etiam P. Augustinum de Espinosa, item ex nostro Ordine, ignitis è ferro sigillis eorundem factorum nominum figuram exprimentibus, sibi brachia, pectus, crura, genua impressisse, in defuncti corpore est deprehensum.

Hist. Soc.
P. 4. l. 2.
Ann. Provd.
Bat.

Supra modum autem mirabile est hoc in genere, quod de Petro quodam referunt, ex Ordine Cisterciensi, Monasterij Villarij in Brabantia, religioso (ut appellant) Conuerso. Qui non contentus carnem suam, ad memoriam atque honorem passionis Dominicæ, flagris, urticis, vepribus, herinacci spinis, alijsq; ejusmodi supplicijs affligere; audaciori se ad Domini sui similitudinem configurandi studio, manus sibi pedesq; perfodit clavis, latus verò aperuit candente ferro, immisso in vulnus ex pilis equinis contexto funiculo, ne nimitum citò obduceretur. Ita ex ejus Monasterij monumentis Ioannes d' Aassignies, Nizellensis Abbas, & ex eo Bartholomæus Fizen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis. Et simile quiddam profert noster Theophilus Raynaudus in suo Sancto Brunone, de quadam Carthusiana sanctimoniali, Beatrice nomine; quæ scilicet pari in Crucifixum studio, sibi manus forauerat, easq; plagas, ne ipso tempore obducerentur, sextâ quaque feriâ adacto clavo renovabat. Quanquam

punct. 10.
9. 3.

id ausum quempiam minus mirabitur, qui apud eundem Theophilum in alio tractatu legerit, idem perfecisse impostores nonnullos, quò se, divinitus CHRISTI stigmatibus insignitos, ementirentur.

De Stigmat. sect. 1. c. 14.

In Vita.

Anab. in servus IESU CHRISTI: ea tamen quoniam & modum confvetum imbecillitatemq; nostram superant, nec periculi vacua videntur; magis, uti dicebam, suspicienda quàm imitanda sunt, neque temerè & indiscretè ab alijs in usum trahenda.

Verùm etsi inventa ejusmodi, quemadmodum ex magno adversus CHRISTUM amore profecta, ita ipsi multum complacita fuisse non dubitem: cum & cæteroqui sciamus, S. Rocho ex ipso utero pectus cruce rubra divinitus insignitè apparuisse, uti & brachia defuncti S. Ansberti Episc: Rothomagensis: & de quodam Paulo Secundo legamus, post mortem in ejus pectoris medio crucis effigiem inventam ex sanguine, cum his litteris in orbem adscriptis: *Paulus Secundus servus IESU CHRISTI*: ea tamen quoniam & modum confvetum imbecillitatemq; nostram superant, nec periculi vacua videntur; magis, uti dicebam, suspicienda quàm imitanda sunt, neque temerè & indiscretè ab alijs in usum trahenda. Quæ tamen hoc loco idcirco recensere voluimus; vel ut appareat ad quos ausus assurgat, & quas adinveniat artes, inflammatum humani pectoris erga IESVM crucifixum studium, & ardor quidam amoris; vel ut tantis propositis exemplis, & præ magnis illis Crucifixi & crucis amatoribus, nostram in eâ arte Christum amandi inertiam ac frigus culpantes, ad innocentes saltem aliquas viribusq; nostris propiores IESVM crucifixum colendi rationes extimulemur: quales satis multas proponit hic noster tractatus, aliasq; plures solers cujusque studium, & quidam quasi pietatis sapor, facilè excogitabit. Quale illud est, quod hic præcipi posset, de secreto cingulo, nonnullis sive aculeis armato, sive nodis aspero: quemadmodum inter alios Sanctos puer Elzearius, ab anno ætatis tertio-decimo, usus fertur cingulo cum quinque nodis ad honorem quinque Christi vulnerum: & S. Clara cum nodis tredecim, adstrictos habentibus lapillos quosdam, qui carni appressi dolorem facerent, ad perpetuam Christi cruciatuum commonitionem. Hic

Chron. S. Fr. 4. 9. c. 18.

Vit. c. 20.

Hic observo denique: quemadmodum ij quos paulò antè memoravimus, Christum posuerunt ut signaculum super cor suum; ut omnia sensa ac vota sua, Crucifixi memoriâ, tanquam sigillo insignirent: ita etiam plures fuisse, qui illum propriè ponerent ut signaculum super brachium suum, inulto scilicet arte quadam in brachijs aut carpis, crucis signo aut IESU nomine, quò crucis Dominicæ recordationem ita quasi ad manum haberent, atque exinde omnia ipsorum opera ipso Christi nomine quodammodo sigillata & consecrata apparent. Quem quidem morem quondam apud multos invaluisse, ex ijs discimus, quæ scribit Laurentius Ramirez in Chronicon Luitprandi; & ex antiquis Procopius Gazæus in caput 44. Isaiæ. Constatq; ex historijs recentioribus, quosdam populos Orientales, etiamnum, crucis cauterio inustum brachium habere.

CAPUT IV.

Apud se in cubiculo, CHRISTI crucifixi effigiem aliquam habere.

§. I.

Eam rem meritò Christiano cui libet commendatâ esse debere.

Æ Quum sanè foret Christianum quemlibet, eosq; præfertim, quorum limina, ut nobilitate dignitatève præstantium, cum primis celebrantur, ædium suarum conclavia, tum alijs pietatis monumentis, tum (& præcipuè) vitæ ac passionis Christi imaginibus, convestita habere. Primum, ut eâ religione ædes suas quodammodo consecrent. Deinde, ut hac tanquam tesserâ, profiteantur se esse quod sunt; hoc est, Christianos. Postremò, ut hac ratione summotis nox:js rerum turpium simulacris, suo aliorumq; pudori atq; saluti

saluti consulant, & pro obscœnis speciebus, castas ac sanctas cogitationes ingerant.

Quo in genere (ut obiter hoc dicam) probrosa videtur nimia quorundam licentia; quorum aulas ingressus, usque ad eò rerum, non profanarum modò, sed etiam pudendarum formis, palàm & ob omnium oculos prostitutis, deturpata veriùs quàm exornata spectes omnia; dubitare ut possis (ædium apparatus quod attinet) hominisne Christiani domum, an à Christiana religione alieni tectum ac la-rem intraveris.

At quantò nobis sint, hac quidem in parte, Schismatici Moschi religiosiores, vel hinc licebit cognoscere. Habet eorum quisque in suis ædibus, Passionis Christi aut similem aliquam religiosam imaginem: cumq; alter alterum convenit officij negotijve gratià, non continuò ad Dominum domus consalutandum convertitur; sed aperto capite ante omnia, circumspicit, ubinam imago sit, cui profundè caput inclinans, ac tertium ducto crucis signo se muniens, eam brevi prece veneratur: tum ijs deinde transactis quorum gratià venerat, non priùs domo pedem effert, quàm eandem imaginem eàdem qua priùs religione salutaverit. Ita Alexander Guagninus in sua Moscovia cap. 4.

Verùm alijs prætermisissis, id modò unum à te contendo, mi Christiane; ut ad Salvatoris passionem crebriùs familiariusq; recolendam, intra cubiculum aut conclave secretius, effigiem Christi crucifixi aliquam habeas; quem velut præsentem in sua imagine observes, in cujus conspectu atque oculis verferis assidue, eumq; modò ut socium ac contubernalem, modò ut actionum testem ac præsidem, modò ut amicum ac secretorum conscium, aliàs ut præceptorem domesticum officijq; monitorem, aspicias; à quo denique incertis in rebus consilium, auxilium in arduis, refugium in periculis, levamen in molestis, solatium in adversis expectes. Hæc generatim: speciatim autem ista licebit observare. §. 2.

§. 2.

Christum crucifixum, studiorum, laborum, actionumque familiarium, testem & adiutorem adhibendum esse.

Primum; ut ejusmodi effigiem eo tibi loco constituas; unde faciliè incurrat in oculos, ut ex obvio, crebròque ejus aspectu utilitatem ac fructum capere possis. Imiterisque in primis B. Catharinam Genuensem, quæ etiam ostendit puellula (prout in ipsius vita legimus) propositam habebat in cubiculo piam Christi patientis tabellam, ad quam quoties cubiculum ingressa, memores oculos converteret, toties intimis afficiebatur sensibus, illorum tormentorum recordatione, quibus suâ causâ subijci voluisset Salvator benignissimus.

Vit. c. 10

Eritque admodum salutare, & majoris fructus quam impendij, exercitium; quoties cubiculum ingrediaris, pio aliquo oculorum conjectu, & levi capitis inclinatione Crucifixum salutare, & in ejus tutelam ac præsidium te tuâque quasi restituere; rursùmque cum egredi contigerit, eodem pacto, aut etiam osculo ad ejus pedes aut cor appresso (præsertim cum longior futura videtur absentia) veniam & velut commeatum exposcere.

Ac denique sub noctem, de more proborum filiorum, (qui non prius cubitum concedunt, quam fausta parentum precatione donati sint) priusquam acquiescas, sanctissimis Crucifixi manibus ac custodiæ te committere, bonamque ab eo & placidam noctem exorare.

Ut jam his non addam subinde extitisse nonnullos, qui ipsum Crucifixi simulacrum, vel secum in strato componerent; vel (quod de Simone Sacerdote Valentino, & de nostro item P. Bernardo Colnago in eorum vitis proditum est) ipsi humi jacentes, pro se in lectulo collocarent: aut etiam qui, omni strato abjecto, in nuda & dura cruce, noctem bre-

Vit. P. Bernardi lib. I. cap. 12. Ioan. Rbô hist. exeme l. 3. c. 10

L. 1. Vit.
cap. 11.

Ioan. Rho
6. 3. tit. c. 2.

vi somno ducerent; in quo item numero fuit è nostris hominibus P. Dominicus Valeſius. Cui affine illud de Venerabili Maria Raggià, quæ crucem ligneam (quam Sponſum appellabat) ulnis complexa, ſuper nuda tabula dormiebat.

Eodémque denique referri poteſt, pium Simonis Rodericij à nobis antea memorati in Crucifixum ſtadium; qui in cubiculo habere ſolebat prægrandem Crucem, lucente per noctem ante eam lampade, ad quam, quoties evigilabat, oculos animúmque, cum ſpeciali aliquo pietatis ſenſu, referre conſueverat.

Veruntamen iſtæ non omnibus paſſim ad imitandum propoſita ſunt. Satis enim ſcio non omnibus omnia congruere: eſtque ratio habenda communis noſtræ infirmitatis, cui conſultius erit, pauca quædam & mediocria cum constantia tenere, quàm plura & grandia non duraturo conatu amplecti. Spectanda igitur unicuique erit vitæ ſuæ & officij conditio; & è multis, quæ ſubinde ſuggerimus, ea deligenda quæ magis ad vires, genium ac guſtum facere viderit: ne plura quàm par eſt, aut viribus ſuis minùs contentanea ſuſcipiens, vel naturam ſuam violentus prægraveret, vel ea etiam, quæ moderatè ſumpta, conſtanter ac jucundè retinuiſſet, tædio victus abijciat. Quod hîc ſemel monitum, de alijs ſimilibus erit intelligendum.

Secundum: ut quidquid operis in conclavi faciendum ſuſceperis, id omne ſub oculis Crucifixi facias, eúmque non reſtem modò actionum tuarum, ſed laborum etiam præſidem atque adiutorem adſciſcas.

Itaque ſi, exempli cauſâ, literarum ſtudijs des operam, Crucifixum habeto ſuper menſulam, aut ſanè in conſpectu; cui ſtudioſorum tuorum labores omnes offeras, ad quem identidem reſpicias, à quo lumen in rebus obſcuris ac difficilibus depoſcas; poſtremò, ſub cujus umbra, ut ita loquar, ſubinde deſidens, à ſtudioſorum tuorum labore non nihil reſpires

spires & interquiescas. Ut enim admonet etiam S. Vincen-
tius: *Sape dum actu studes, à libro debes ad horam oculos a-*
vertere, & oculis clausis te in Christi plagis abscondere, & ite-
rato te ad librum convertere. *De Sit. spir.*
cap. 10.

Quam in rem notum est exemplum Seraphici Bona-
ventura, qui (ut ipse de se Angelico Doctore professus est)
hunc codicem unicè & assidue lectitare, ex eoque præsertim
proficere, ac sublimes illas cogitationes ac pia sensa haurire
confreverat. Quod item de primis sui Ordinis Patribus
ipse Bonaventura testatur in vita S. Patris Francisci; qui *cap. 3.*
nempe recenti adhuc Ordine, cum sacrorum Doctorum li-
bris destituti essent, *loco illorum* (inquit) *librum Crucis Chri-*
sti continuatis aspectibus, diebus ac noctibus revolvebant. Eo-
démque in ludo eruditus B. Petrus de Alcantara, cum sacris
Biblijs solum Crucifixum habebat in cubiculo, in eoque per-
volvutando crucis codice & ipse assiduus erat, & alijs, ut eum
præ cæteris legerent, svadebat. Theologi cujusdam è sacro
Ordine Prædicatorum, eo in genere religio, memorabi-
lem hunc eventum habuit. Solebat is, sumptâ Crucifixi
imagine, & ad caput libri super mensam collocatâ, in com-
muni Bibliotheca ad multam noctem lucubrare. Nocte
quadam ita lucubrans, visus est intempestivus nescio cujus
tubæ sonitus insonare; primùm obscurior, & quasi è lon-
ginq̄, exinde clarior clariorque & tanquam propius ae
propius ad aures appellens; donec prope hominem consti-
tit tuba inaspectabilis, paventem, & à Crucifixo pacem ac
veniam postulantem. Quam ille tubam, iudicij sui mor-
tisque propinquæ significationem interpretans; sub auro-
ram Priorem adjit confessionis gratiâ, postulatisque Sacra-
mentis cæteris (cum sanus alioqui videretur) haud ita mul-
tò post excessit è vivis. Ita Joannes Severanus, ex Historia *Præf. 1005.*
pag. 572.

Ordinis Prædicatorum Provinciæ Aragoniæ.

Tandémque, ne plures proferam, Franciscus quoque

Q 2

Sua

Ante tom:
de Angeli:

Suarez, vir è Societate nostra, quemadmodum celebratissimæ doctrinæ, ita & virtutis eximæ; *si studijs inbarenti*, (inquit Autor vitæ) *quæstio aliqua perdifficilis, nodusve implicatus occurreret, ante Christi è cruce pendentis effigiem, divina lucis radios à Patre luminum mutuabatur.* Quantâ porro exinde lucis copiâ mens ejus illustrari solet, argumento fit ille aspectabilis, sed insolitus admirabilisque splendor, qui aliquando de effigie Crucifixi promicans, rectâ in Suarj vultum ac pectus sese vibrare conspectus est, ipsôque repercussu Musæum omne supra Solis splendorem collustrare; cùm ipse ante hanc effigiem, plicatis genibus suspensus, ac duos ferè cubitos ab humo sublimis cerneretur; uti testatur ejusdem vita.

Attamen quæ hîc præcipiuntur, non de divinarum duntaxat rerum studijs, sed de humanarum quoque intelligi & usurpari debent. Siquidem & ista, jam commemoratis devotæ mentis exercitijs, aspergenda & condienda sunt; quæ nempe & illis aliquam sanctitatem impertiant, & de celo lumen aspirent, & tædium levent, & animum addant, ac non injucundâ intermissione atque alternatione relaxent; ac demum, Christo opitulante, omnia procliviora captu, & usu faciliora reddant. *Pietas enim, Apostolo teste, ad omnia utilis est.*

2. Tim. 4.

Eadem denique valere debet præceptio, quoquo tandem opere, pro tuæ professionis ratione, in conclavi manus exerceas; & hoc etiam magis, quòd manuum labor, quò operantis mentem minùs occupat ac distrahit, eò ampliolem pijs ejusmodi ad Christum crucifixum respectibus, suspirationibusve relinquat facultatem. Atque facilis est & amabilis industriæ, quod in vita Venerabilis Catharinæ Ricci ex Ordine S. Dominici, de quadam ejus Monasterij Virgine proditur, Helenâ nomine: quæ, ut erat assidue in dolorum Christi commentatione occupata, inter alias artes sol-

lib. 2. c. 8.

solebat in opere faciendo rosas quinque (ubi eorum florum tempus esset) in crucis modum præ se in mensula disponere; eaque industria, non tam oculos florum aspectu, quam animam plagarum Sponsi sui memoriâ & imagine pascere.

§. 3.

Ad eundem in tentationibus aliisque molestiis esse recurrendum.

Tertium: ut Christi crucifixi effigiem in promptu habens, in illa paratum perfugium, ac præsidium salutis habeas in tentationibus ac periculis, & hoc tanquam domestico asylo ab omni malorum incursum tutus existas.

Planè enim hic opportunum est B. Hieronymi breve Thom: Hi- præceptum: *Si ingressi fuerint ad te latrunculi per oculos, per bern. aspectum crucis opprime eos.* Incautior aspectus aspectu sanctiore sanandus est, & ignitorum serpentum morsus, salutaris signi inspectione excantandus. Unde etiam & illud S. Bernardi ad Hugonem Novitium: *Si tentationum sentis a- Ep. 351. culcos, exaltatum in ligno serpentem aneum intueres; & fuge, non tam vulnera, quam ubera Crucifixi.* Quod etiam pluribus persequens S. Augustinus in Manuali, in eamque rem, suum ipse experimentum allegans: *Cum me pulsas, inquit, cap. 22. aliqua turpis cogitatio, recorro ad vulnera Christi. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordie Domini mei; & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filij Dei, extinguitur. In omnibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi.*

Te igitur felicem, si hoc tam præsentem perfugio familiariter uti noveris; in omni discrimine ad Christi vulnera P. f. 26. confugiens, & velut (quod ait Propheta) in abscondito divini tabernaculi, in corde inquam Christi crucifixi, te abscon-

feodens; denique, ex ejusdem Prophetæ monito, parvos Babylonis (hoc est ipsa prima pravatum cogitationum femina) ad Petram, seu Christum crucifixum allidens. Senties subinde vel solo Crucifixi conspectu in te extingui omnia tela nequissimi ignea, impurasque omnes imagines, & istam quam appellat S. Hieronymus dulcem libidinum pompam, continuo diffugere à facie ejus: ipso denique usu atque experimento comperies, adversus omnes infirmitates carnis nostræ, livore vulnerum Salvatoris nullum esse malagma præsentius, nullum remedium efficacius. Proinde & ad præcavenda oculorum pericula, non mediocre utilitatem habebit, id quod alio sensu dicit Scriptura, ut sit vita nostra pendens ante oculos nostros, vitalem nimirum Salvatoris nostri in cruce pendentis speciem assidue præsentis oculis, tanquam præsentem, circumferendo.

Neque verò dubium esse debet, quin illo ad sese crebro ac fiduciæ pleno recursum delectatus Dominus, speciali curâ protegendum te suscipiat: quemadmodum de pia Virgine, cui nomen Elisabetha Wansia, restatur Thomas Cantipratanus. Quæ cum patientis Christi cruciatus nunquam è memoria deponeret; Christus crucifixus totos tres annos ita illam comitatus est quocunque se ferret, ut si quæ forsam impuræ cogitationes animum pulsarent, ille revulsam à cruce manum ejus pectori admovent, omnemque confestim impuritatem abigeret.

Si porro gravior tentationis vis ingruerit, instæque tibi pertinacius, age (ejus rei ubi opportunità fuerit) Crucifixum in manus, aut etiam in sinum sumito; contemplare amantissimi Domini vultum, non tam mortis vi quam amoris, in te propensum ingredi, quæ licet, in cor illius afflictissimum, plagas ejus & membra omnia sollicitis osculis laceffe, in manus illius animam tuam commenda.

Dicito illi ista de Scriptura, quæ exempli gratiâ hic ponimus:

Ep. 22.

Apst. l. 2.
capi 50.

nimus: Amabilis IESU: *Aspice in me, & miserere mei. Domine, vim patior, responde pro me. de vultu tuo iudicium meum prodeat. Si insurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij. Sub umbra alarum tuarum protege me. Domine, salva nos, perimus. Non me derelinquas usquequaque. non avertas faciem tuam à me. Non peccabo in conspectu Dei mei. Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem.*

Addere potes & illa in primis huc pertinentia:

O bone IESU exaudi me: Intra vulnera tua absconde me: Ne permittas me separari à te: Ab hoste maligno defende me.

Et his similia, quæ affectus aut usus suggeret: quibus eatenus insistere poteris; dum, tempestate discussa, animo redeat desiderata tranquillitas.

Idem sibi habebat tentationum perfugium S. Hieronymus; quando inter deserta agenti (prout ipse scribit ad S. Virginem Eustochium) recursabant Romanæ deliciae, & scorpionum tantum socio atque ferarum, ob oculos chori oberlabantur puellarum. *Itaque (inquit) omni auxilio destitutus, ad IESU jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, &c.*

Eodémque rursus perfugio tibi utendum erit, quoties, si non illecebrosa tentatio, at anxietas animum, ægritudo, mæstitia, tenebræ, solitudo occupaverint. Sed quoniam eam rem parte 4. cap: II. ubi Exercitium resignationis animæ desolatæ inter brachia Crucifixi tradimus, diligentius exequimur; idcirco pluribus in præsentia superfedemus.

§. 4.

Coram eodem precandum; & alia quævis, tanquam cum amico fidelissimo, conferenda.

Quartum: ut cum tibi precandum erit, aut divinorum meditationi vacandum; ante Crucifixum id quoque

agere instituas. Juvabit ipsa Crucifixi praesentia, tum ad varios sanctos affectus, vel ipso Crucis intuitu, concipiendos; tum ad reverentiam attentionemque animi, ad ea quae tecum meditabere, retinendam, & cordis tui instabilitatem, eâ oculis objectâ specie, efficacius coercendam.

Quapropter si inter orandum, animum tibi longius evagari ac peregrinari sentias, continuo oculos ac mentem ad aspectum Crucifixi revoca; sensus tuos dispersos intra ejus vulnera recollige, & cor tuum vagum & instabile in ejus praesertim sacro latere desige. Sic enim etiam factitaliter video S. Bonaventuram; cujus ista est ad Crucifixum oratio: *O bone IESU, nimis saevum est cor meum, nisi molliatur sanguine tuo: nimis distractum est cor meum, nisi recolligatur in latere tuo.*

P. 1. Sim:
cap. 13.

Quod si fortè coelis imbrem suum negantibus, tibi cor aridum, & anima sinè humore est, nec sapere potest quod piæ meditationis argumentum sumpseris; adhuc tamen oculos mentemque, quantumvis arentem, in Christi aspectu defixam tene, ejus sacra membra & plagas amabiles sigillatim otiosèque contemplare, eam Crucifixum inspicendi perseverantiam, pro omni oratione habe. Neque si, vel horam, absque alio interiore gustu, in sola imaginis Crucifixi contemplatione perfiteris; pigeat te orationis insipida, aut temporis malè collocati. Iste quippe constans ac pius Crucifixi aspectus, præclara quaedam atque efficax oratio est: quando & ea humilitas habitusque corporis & animi de Crucifixi vultu pendentis, vocis instar habet apud Deum; & ipsa species Crucifixi, quem in ejusmodi ariditate cordis pro nobis quodammodo substituimus, vicariâ veluti operâ pro nobis Patrem interpellat atque exorat: ut hic etiam valeat illud S. Ambrosij libro de Isaac & anima: *Ipsè (scilicet Christus) sit vox nostra, per quam loquamur ad Patrem.*

cap. 8.

Quæ

Quare velut mendicus quispiam, in conspectu divitis timide ac verecunde consistens, etsi ore taceat, ipso tamen vultu cateroque corporis gestu, stipem exorat: ita debes & tu, in illa spiritus egestate, coram Crucifixo, pauperuli instar humiliter, modestè, perseveranter assistere, & eà perseverandi instantiâ, stipem cœlestem tuâque paupertati oportunum subsidium emendicare.

Quò etiam pertinet quod apud S. Bernardum (si tamen ejus est opusculum illud) in libro de natura & dignitate divini amoris, legimus: *Anima (inquit) sicut inops, sicut mendica, sperans, suspirans, inspicit, suspicit, si quid sibi porrigatur, si quando aperiatur: & aliquando, importunitate & improbitate suâ, sic evincit omnia obstacula, & transgreditur usque ad interiorem Sapientia mensam, & c.* ^{cap. 4.}

Itaque potes per intervalla, egestatem tuam agnosces atque præterdens; aut de derelictione tua amanter ac blandè conquerens, illud Prophetæ usurpare ad Deum: *Iste pauper clamavit ad Dominum; vel illud ejusdem: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor; vel illud denique: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.*

Potes etiam (quando iste sensus in Chananæa muliere tantum Christo placuit) catelli instar habere te, qui ad herilem mensam assistens, & Dominum suum etiam silentio respectans, sat intelligitur illum admonere victus atque indigentia suæ. Forsitan & tibi dabitur denique edere saltem de micis quæ cadunt de mensa Domini tui. Veruntamen, utut sese habebunt reliqua, optima erit hæc oratio, etsi minus succedat quod paraveris. Tantum torpor absit, & voluntaria nauseantis animi evagatio.

Quintum & postremum: ut istum quasi amicum unicum, ac fidum sodalem, Christum inquam crucifixum apud te habens, cum illo tuis de rebus, quæcunque tandem cæ-

R

fue-

fuert, familiariter amantèrque conferas; cum illo, post curas atque labores, fatigatam mentem subinde recrees ac reficias; cum illo denique (cùm temporis aliquid vacuum tibi fuerit) omiffis frigidis, quæ ab aliorum amicorum conuictu ac confuetudine expectari poffunt, folatiolis, otium temporis fanctè ac jucundè oblectes. Ut enim rectè cum

Explic. pag. cap. 16. Joanne Thaulero Lætienfis Abbas: *Quid poffit amanti anima effe fuauius, quàm ut pofft distractiones, labores, perturbationesque multas in hac lacrymarum valle (vetit, nolit) ei occurrentes, eamque fatigantes, fub hac falutifera crucis umbra refpiret, fe fe reficiat, fenus difperfos colligat, animamque exhauftram delectabili arboris hujus fructu confortet? Hæc ibi.*

Eodem facit Exercitium, quod ob materiæ fimilitudinem capite fequenti adjungimus: quamvis poffint hæc & quædam fimilia, etiam ad partes fequentes, fiue ad interiorem aliquam animæ occupationem pertinere.

C A P V T V.

*Sumptâ in manus Chrifti crucifixi effigie, fe fe
subinde ad bonam mortem exercere.*

§. I.

Ejus Exercitiij, tum neceffitas, tum utilitas, oftenditur.

PRæfens exercitium propterea feorfum proponimus, quod & fuper eo plufcula nobis dicenda funt, & ad bonam mortem (à qua omnis pender æterna noftra felicitas) non mediocrem vim videatur habiturum effe.

Id autem eff hujusmodi: ut ab omni cura moleftiore feriatas, cùm te animo tranquillo, proindèque ad diuinos fenus magis composito, effe feneris; partem aliquam temporis tibi deligas, quâ claufo oftio cubiculi tui, & fumptâ in

in manus Christi crucifixi effigie, eoque delecto situ corporis, qui in rem presentem maximè facere videbitur, cum Salvatore tuo ac Iudice, tuæ salutis causam oriosius agere instituas, atque ex formula, quam post paulò subijciam, tanquam si in fatali lectulo supremæ horæ signum expectes, in ijs proinde animi sensibus atque affectibus, qui extremo illi tempori congruere videantur, in iisdemque cum ipso Christo crucifixo sermonibus colloctionibusque, te exerceas.

Neque in tempestivum fortassis aut præproperum census hoc studium; si cum animo tuo istinc reposes in primis incertum humanæ vitæ; cum forsàn hæc dies, forsàn hæc hora, forsàn hoc momentum supremum nobis futurum sit; istinc autem rei pondus & magnitudinem aestimes. Quippe cum de arte bene mori agitur, ea profectò res agitur, cui prout oportet condiscendæ, omnis utique vita meritissimò sit impendenda: adeoque non frustra fuisse, sed ingentem sanè vivendo profectum is fecisse censendus sit, qui vel hoc unum in omni vita didicerit: *Bene mori.*

Audi eam in rem Romanum Philosophum ad amicum suum Lucilium præclare, & tantum non Christianè scribentem: *Magna res est hæc (inquit) Lucili, & diu discenda, cum adventat illa hora inevitabilis, æquo animo abire.* Et rursum: *Vix tota vita sufficiat, ut hoc unum discas, vitam contemnere.* Et alio tractatu: *Vivere tota vitâ discendum est: & quod magis fortasse miraberis, tota vitâ discendum est mori.* Ut jam te, mi Lector, non pigeat, vel otij tui particulam aliquam, in eam quam dixi exercitationem conferre; & istâ velut profusione, ad horam illam decretoriam, extremumque vitæ actum, te comparare.

Nam si, qui fabulam comœdiâmve acturi sunt, prius in scenam quam prodeant, diu multumque exerceri, & ad vocis flexum, mutationem vultus, corporis gestum ac motionem, verbo ad id omne, quod personæ quam gerant aptè

sustinendæ necessarium existimetur, studiosissimè formari solent; suis ut denique spectatoribus se approbent, atque ab ijs inanes plausus laudève perituram reportent: quam non oportet nos diligentiam, curam, studium, præmeditationem, exercitationem adferre, ut non jam in fabula, aut rei seriæ, attamen ludicro, imitamento, verùm in re omnium maxima atque gravissima, Deo vitæ nostræ, non otioso spectatori, sed ad præmium poenâmve æternam justissimo certissimòque Judici, probemur: ne cùm inexercitati ac rudes ad vitæ clausulam peragendam venerimus, extremo in actu (in quo posita sunt omnia) miserimo lapsu corruamus, atque errore irrevocabili & inemendabili peccemus.

Neque hac in parte ulla occupationum excusatio admittenda est. Quasi ullus homo sit ita temporis egens, quin illius portionem aliquam, & velut horarum succisiva, non modò honestæ remissioni, sed rebus etiam supervacaneis interdum donare possit: aut tanquam occupatio ulla sit ei negotio anteferenda, quo non jam tempori (quod ajunt) servitur, sed æternitatis securitati consulitur.

Augustinus olim, circa suæ ad Deum conversionis consilia fluctuans, & magno pugnantium cogitationum æstu jactatus, cùm illud de quo nunc agimus, præclare apud animum suum statuisset: *Deputentur*, inquit, *tempora, distribuantur horæ pro salute animæ*: continuo illà occupationum objectâ mole, ab eo quod jam instituerat, poene repulsus & retroactus est; cum ijs se curis, sive professionis rhetoriæ, sive aliorum officiorum, distineri diceret, nulla ut ab ijs vacua sibi temporis pars, ad ea cogitanda agitandève quæ maximè vellet, relicta esse videretur. Sed en uti rursus omnem hunc curarum temporalium obtentum, æternæ salutis desiderio mortisque timore, generosè distulbat ac disjicit. *Pereant omnia* (inquit) *& dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis.*

L. 6. Conf.
cap. 11.

tatis. Vita hac misera est, mors incerta: si subito obrepat, quomodo hinc exibimus? Et ubi nobis discenda sunt, quæ hic negleximus? Annon potius hujus negligentia supplicia luenda sunt? Ista Augustinus. Quæ quidem omnia suo quodam modo valere possunt etiam in rem præsentem. Quemadmodum enim serum nimis est, morte jam obitâ, artem discere bene moriendi: ita qui constante vitâ disciplinam eam neglexerit, ut is instante morte moriendi artem addiscat, audeo dicere, propemodum nimis serum esse. Quando videlicet ipso terrore vicinæ, neque antea unquam satis consideratæ atque provisæ, mortis occupatus animus, & præsentium sensu, futurorum metu percussus, tot inter curas, dolores, angores, perturbationes, horrores, tenebras, vix jam seipsum respicere, minus etiam ea, quæ suæ salutis ratio eo in tempore postulet, circumspicere potest. Quo etiam fit, ut plerosque videas, cum in exercitati & imparati ad moriendum accesserint, etiam sub ipso mortis ictu sollicitius de ea differenda, quàm quomodo rectè obeunda sit, cogitare; interque has curas, ipso suo facto quasi præoccupatos, salutis suæ res, si non deploratas, at dubias tamen, atque incertas relinquere.

Magna igitur res est, & nullo non die, omnique adeò vitâ discenda, Christianè mori: hoc est (inquam) ut piè, ut sanctè mortem obeas; ut cum non dubia salutis spe, & (quoad ejus fieri potest) beatæ securus æternitatis decedas.

Et quoniam ejus disciplina pars non contemnenda, est præfens exercitatio; ad eam te hortor, Lector optime: quia ut huc transferam, quod, in re non absumili, de animo ad paupertatem præparando dixit Seneca: *Necessarium judico, Ept 10. id quod tibi scripsi magnos viros sæpe fecisse, aliquos dies interponere, quibus nos imaginariâ (ille paupertate dixit, nos morte) exerceamus ad veram.*

§. 2.

Exercitationis proposita species atque adumbratio quaedam.

Igitur si te volueris ad bonam mortem per otium componere, potes hac similive ratione circa Christum crucifixum exerceri.

Primò: sumptâ in manus aut sinum Domini tui in cruce pondentis effigie; & mortis horam (à qua nescio an re ipsâ multum absis) veluti presentem animo ac cogitatione fingens; agnosces in primis sub illa figura Dominum Creatorem ac Salvatorem tuum, qui amore tui per summos dolores & opprobria in infami illo patibulo mori sustinuerit, quò te à diaboli servitute eriperet, & morte suâ amarissimâ, vitam tibi beatam aternâque gaudia compararet.

Secundò: te ipsum & anteaquam vitam respiciens, recogitabis illi omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ; dolebisque vehementer, quòd hæctenus seu negligenter & remissè, seu etiam nequiter sceleratèque vivendo, adversus tantum amorem ingratus, non modò amorem amori non reddideris, sed ipsum benignissimum Dominum tuum criminibus tuis (quod in te fuit) rursus crucifixeris, divinumque ejus sanguinem tam amanter & largiter pro te fufum quodammodo conculcaveris.

Tertiò: in hujus vecordix tuæ cogitatione, timore, dolore, verecundia, horrore confusus, te veluti reum & quovis dignum supplicio ad ipsius pedes abicies, oculisque in terram defixis, tanquam si offensi Redemptoris vultum non sustineres, admisorum tuorum veniam postulabis; rogans, ut infelicem animam tuam mundare dignetur precioso suo sanguine, & te velut prodigum filium de regione longinqua denique revertentem, recipere in gratiam, & brachijs immensæ suæ charitatis amplecti.

Quartò: deinde cum animo tuo considerans, Christum

Iesum ad hoc venisse ut peccatores quæreret, ac pro
ijs salvandis (ac pro te nominatim) mortuum esse; in eum
amanter te projiciens, omnem spem tuam atque salutem in
sacris ejus vulneribus ac sanguine constitues, certus, hujus
pretium in immensum excedere quamcunque tuorum pec-
catorum gravitatem. Quorum memoria si supervacue te
soliciter: colliga ea in fasciculum, & in incensam illam
charitatis fornacem, in Salvatoris cor, ad comburendum
immitte. Fidenter dic æterno Patri: Pater, peccavi in
cælum, & coram te: sed pro me interpellat & pacem ex-
orat Unigenitus tuus. Pro me vulneratus, pro me crucifi-
xus, pro me mortuus est. Habes quondam grandis debiti-
reum: sed chirographum obligationis meæ filij tui sangui-
ne deletum est. En apocham meæ liberationis. Attende
Unigeniti vulnera, & obliviscere peccata mea.

Quintò: tum verò etiam majore erectus fiducia, &
crucem ipsam manu stringens atque præterdicens (veluti
quosdam Dei servos imminente morte fecisse scimus) *In hoc* Gen: 32.
baculo, exclama, *transibo Iordanem istum*: alludendo vide-
licet ad verba Jacobi Patriarchæ, & Domini crucem aspici-
endo tanquam baculum peregrinationis nostræ; cujus ope,
isto dolorum ac mortis torrente transmissio, promissam ter-
ram securè attingere valeamus. Quò referri potest, quod
de S. Nicolao Tolentinate legimus; qui moriturus oravit
ad se deferri crucem, in qua veræ crucis particula inclusa
erat; *ut ejus virtute (aiebat) ceu baculo altissima potestatis
fultus, Iordanem hujus mundi liberè transmittere, & ad Para-
disi gaudia facilè pervenire queam.*

Sextò: inter hos, similisve affectus, Salvatoris in cru-
ce distenti nunc hæc, nunc illa membra complectere: rosea
ejus vulnera identidem, dissaviare: in ipsius corde vulne-
rato, ceu sanctæ fiduciæ ara, & divini amoris officina, liben-
ter ac diutiùs immorare: os ejus divinum ori tuo, tanquam
aut

aut illius morientis spiritum excepturus, aut tuum in illum transfusus, amanter apprime: qua de re infra plura suggeram, cum de Christi morientis imitatione.

Ad extremum: in ipsius manus, corpus, animam, vitam, & ipsam aeternam salutem tuam fidenter committes; paratus ad omnem ejus nutum & placitum, seu te porro vivere, seu mori velit: & totum quod es, aut totum quod habes, opes, honores, titulos, &c. ad pedes Crucifixi deprensens & quasi restituens; quod hactenus & vitam, & istam vitam seu commoda, seu ornamenta liberaliter tibi praestiterit, ei gratias ages. Tandem veluti pertasus istius mortalis vitae, atque aeternorum incensus desiderio, anhelabis subinde ad conspectum ejus, & his B. Gertrudis vocibus ad illum sus-

spiras: *O IESU mi chare, quando corpus meum (te perimente) revertetur in pulverem, & anima mea liberè refluet in te suam originem!*

Juvabitque ad manum habere alias nonnullas aspirationes hujusmodi; qualis est illa, quam ex S. Gregorio referemus in parte ultima; aut ista quam autor tractatus de Visitatione infirmorum inter opera S. Augustini, moribundo dicendam suggerit in Crucifixi complexu: *Tu autem, bone IESU, qui pro me pendens ita passus es, misereri mei digneris, & praesta, ut qui mihi mortuus es, & ad hoc mortuus es, ut mundo moriens tibi vivam, bone IESU.*

lib. 2. 3.

Ad hujus denique Exercitationis complementum, mihi insuper haec pauca monendus es:

Primum: ut quando nondum in vera morte, sed in imaginaria tantum versaris, tibi que adhuc temporis aliquid ad vitam emendandam concessum est; ad id omni studio connitaris; & quod omnino fecisse velles, si hoc ipso momento reipsa tibi moriendum esset, id tibi deinceps faciendum serio apud animum tuum proponas.

Id autem cavebis in primis, ne priores culpas, quarum nunc

nunc te poenitet, repetas: ne fortè tot tuis frustrationibus fatigata, & vecordia tuæ fastidio offensa Dei benignitas, meritò denique te deserat; & impensa tibi, sed contempta misericordia, in gravius iudicium suppliciumque vertatur. Timenda quippe est in re præsentis, amara illa Beati Job imprecatio: *Obliviscatur ejus misericordia.* Cujus quidem, ^{cap. 24.} poenæ hanc inter cæteras rationem subjicit: *Dedit ei Deus locum poenitentia, & ille abutitur eo in superbiam.* Quod graviter more suo explicans B. Gregorius: *Quia (inquit) accepta misericordie tempora diverit ad culpam; districtus in L. 13. Mor. ultimis Iudex argumenta misericordie convertit ad poenam. cap. 3.* Unde necesse est (concludit) ut cum nos diutius expectari conspiciamus, ipsa pietatis prorogata tempora, quasi damnationis argumenta timeamus. Hæc S. Gregorius.

Istius proinde Exercitij usurpatione, non in futurum, modò, sive ad mortem tempore suo piè ac sanctè obeundam, valebit plurimum (promptius quippe, cum res exiget, prorumpes in eos affectus quibus assueveris, & ad familiare notumque per fugium, Christi inquam crucifixi vulnera, liberius convolabis) sed non parùm etiam conducet in præsens, ad vitam scilicet purè & sanctè, eoque tranquillè atque beatè, transigendam. Bene siquidem vivet, qui bene mori didicerit: sicut è diverso verum est illud, sapius a nobis in hoc capite laudati Philosophi: *Malè vivet, quisquis nesciet de tr. ang. animi c. 11. bene mori.*

Alterum: ut hoc quidquid est spiritualis exercitij, non cursim aut quasi perfunctoriè, sed sedulò & diligenter obeas, & in his capitibus quæ ad gustum magis facient, operosius insistas. Quòd si tibi Deus, inter exercendum, sensus aliquos in futurum utiles, aut rationem aliquam artè mve rei in tempore suo bene gerendæ, suggererit; ut id in codicillum ad memoriam atque usum referre ne prætermittas.

Postremum: (quanquam non magnum est, at fortè ar-
ridebit nonnemini) ut in hujus exercitationis clausula, ei
calvariæ (quæ ad crucis pedem apponi solita, mortis nostræ
per Christum exarmatæ, & ad crucis triumphale lignum,
spolij instar adjunctæ, symbolum est) subinde osculum fi-
gas: testatus hoc pacto te mortem de manu Dei, cum hora
illius venerit, libenter esse acceptaturum, eamque sive ut
donum amantis, sive ut flagellum punientis, perinde exoscu-
laturum esse. Eodèmq; recidet, si eam humani capitis
figuram, duntaxat appositam dixeris ad supplicij locum in-
dicandum, qui à calvarijs, quæ istic jacerent nomen acce-
perit; sive ea denique primi hominis Adam calva est, quem
istic sepultum, receptissimam est SS. Patrum traditio. Nam-
que sic etiam mortalitatis nostræ monumentum est, in eaq;
mortis necessitatem unicuique impositam intueri & ample-
cti licebit.

§. 3.

Illustri exemplo asseritur eadem Exercitatio.

Simili fermè ratione ad mortem sese exercebat Venerabi-
lis Pater Cæsar de Bus, is qui Religionis Patrum, quos
vocant, Doctrinæ Christianæ, in Gallijs autor atque condi-
tor fuit: qui sive ad mortis memoriam familiarius retinen-
dam, sive ad assiduum vitæ sanctioris ac perfectioris incita-
mentum, quotidie prius quàm consveto somno concederet,
quendam sibi tanquam sui funeris apparatus; aut verius
pietatis scenam, istum in morem adornabat.

l. 2. Vir. c. 8.

Aquæ sanctæ vasculum cum peniculo lustrali statue-
bat in scabello ad lectuli caput; ad pedes verò in scabello
altero lucernam collocabat per noctem arsuram: tum sese
in strato industriè componens, sumptoque inter manus
Christi cruci suffixi signo, pijs precationibus commendabat
illi animam suam, perinde atque si eam sibi noctem supre-
mam

nam fore intelligeret, aut confestim sibi è vita excedendum esset. Inter quas pias commentationes somno denique cedebat; ac luce posterâ eo in habitu evigilans, diem illam sibi singulariter ad sui emendationem à Deo concessam interpretabatur; eamque proinde in lucro ponens, perfectioris vitæ studium arripiebat ardentius, quasi se idcirco ab ipsis inferis divinitus ereptum, vitæq; redonatū intueretur.

Iraque vir pius (quod sapienti faciendum præcipiebat Seneca) *nullo non die se extulit.* Cùmque ex asceticæ vitæ præceptionibus, ad quotidianam spiritûs renovationem, sanctumque fervorem concipiendum, duo hæc plurimum valeant; diem omnem, vel tanquam primam religiosi studij, vel tanquam supremam aspicere, uno ille invento utrumque fecit: omni quippe die sese componens, rursus omni die tanquam superstes sibi vivens, quotidie cœpit de integro Deo vivere, quotidie postremum vixit.

Sed attende, amabo, priusquam hoc caput finiam; in talem virum quàm ea bellè conveniant, quæ loco jam laudato Seneca, Elogij instar, attexuit: *Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixit, quotidie ad lucrum surgit.*

CAPUT VI.

Missæ Sacrificio quotidie frequentando, passionis ac mortis Domini memoriam renovare.

§. I.

Missæ Sacrificium expressam quandam passionis Christi representationem esse.

Postulat à te in benignissimum Redemptorem propensa pietas & grati animi devotio; ut sacrosancto Missæ Sacrificio (cujus celebratio, ut S. Thomas loquitur, *imago quædam* 3. p. 9483. a. 1.)

S 2

dam

dam est repræsentativa passionis Christi) quotidie, quoad reatua permiserint, religiose assistas. Hoc enim illud est divinissimum mysterium, quod discessurus ex hoc mundo Salvator, & instante jam passione sua, atque, ut ait Rupertus, *jam in angustia passionis agonizans*, celebrare nos iussit in suam commemorationem: hoc est (veluti interpretatur Apostolus) ad mortem eius annunciandam. Unde etiam S. Bonaventura: *In meam commemorationem. In memoriam scilicet eorum que pro te in carne gessi, quod propter te derisus, illusus, crucifixus sum.* Et B. Albertus Magnus de Sacrificio Missæ: *Hæc quotiescunque feceritis (inquit) in mei absentia ad passionem memoriam facietis.*

l. 2. in Exod. cap. 6.

Fascic. c. 1.

Tract. 3. cap. 12.

Orat. 1. de resurr. Chr.

Sess. 13. cap. 3.

l. 4. dialog. cap. 58. q. 78. a. 3. ad 2.

Ac si ipsam porrò mysterij naturam ac conditionem attenderimus; comperiemus, Sacrificium hoc, verum esse illius, quod in ara crucis olim oblatum est, imitamentum. Eadem quippe tam in illo cruento quàm in hoc incruento Sacrificio est victima: quæ etsi jam morti atque tormentis subtracta sit; semper tamen in hoc mysterio, arcanâ & non aspectabili ratione (ut ait S. Gregor: Nyssenus) immolatur.

Cùm enim, quantum est ex vi verborum (ut cum Synodo Tridentina loquuntur Theologi) solum Christi corpus sub panis specie ponatur, non item sanguis & anima, tametsi & hæc simul adsint, vi naturalis (quæ inter illa est) connexionis & concomitantia; similiter autem sub specie vini, Christi sanguis duntaxat non item corpus existat ex vi verborum: fit, ut mysticâ ratione corpus Christi ut exanguis & exanime, sanguis autem ut è venis effusus & seorsum consistens exhibeatur; atque per hunc modum (quod ait Magnus Gregorius) *hoc Sacrificium passionem Unigeniti Filij semper imitetur.* Siquidem sanguis seorsum consecratus, expressè passionem Christi repræsentat; inquit disertè Doctor Angelicus.

Itaque præclare eodem loco S. Gregorius: *Hæc vili-*

ma illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis jam non moritur; tamen in seipso immortali- ter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. vel ut alij legunt: in hoc mysterio moritur.

C. Quid sit, de cent. d. 2.

Eique consonans S. Joannes Damascenus: Ille, inquit, Dei Agnus qui mundi peccatum tollit, mysticam discipulis suis canam tradidit, ipsisque sese velut vitulum saginatum mac- tavit, ac vera vitis vivam tanquam in torculari expressit. In quibus habes manifestè mac- tationem corporis, & expressi- onem sanguinis, ac proinde vivam passionis ac mortis Christi representationem. Utin re clara atque testata, ni- hil necesse sit alios Patres adducere.

de assumpti- B. Maria.

Omitto itidem: reliqua quæ in ipsa Missæ celebra- tione geruntur, partes ejus singulas, ac ritus omnes, ipsùmque etiam sacrificantis ornatum & habitum, ad Christi passio- nem representandam apposita & accommodata esse; ut videre licet apud alios.

Ex his autem rectè concludit Doctor Seraphicus, scri- bens in quartum sententiarum: *Si ergo accendit affectum passio descripta, & amplius ferventer predicata; multò magis inflammare & afficere debet in hoc Sacramento expressa. Et hoc absque dubio facit, si quis sensum habet, & illum convertit ad hoc Sacramentum.*

d. 12. p. 2. a. 1.

§. 2.

Quæ cum in finem specialiter videantur observanda.

UT igitur eâ, quam res postulat, religione, Missæ Sacrifi- cio assistamus; tria præsertim nobis observanda sunt:
Primum: ut ad Ecclesiam rei sacrae causâ conceden- tes, complurium Sanctorum exemplo, ita assvescamus ac perinde inducamus animum, quasi non alicui passionis Do- mini-

minicæ representationi duntaxat adfuturi, sed ipsam reverentiam Christi passionem, atque cruentam immolationem, in monte Calvario spectaturi sumus. Ita enim fiet, ut passionis ac mortis Christi mysteria, tanquam si coram gererentur intuentes, majorem ad illa attentionem animi ac reverentiam adferamus, eosdemque propè experiamur affectus, quos vel ij senserunt, qui patientem Christum coram spectârunt, vel nos ipsi experti fuissetus, si eum reipsâ illi tormentorum acerbitati subiectum, ipsis oculis contemplati essemus.

l. 4. myst:
Missi c. 1.

Alterum: ut præsertim sub ipsum tempus consecrationis (quod Innocentius III. scite appellat *cor divini sacrificij*) excusitemus fidem ac devotionem nostram, atque in Hostiæ elevatione, quæ (ex sensu S. Damasceni inferius citandi) corporis Christi in erucem sublationem significat, mentis oculis ipsum intueamur veluti in cruce pendentem, plagis lacerum ac cruentatum; & ex ejus apertis vulneribus sacrum sanguinem largiter decurrentem in terram.

Hom. 24.
in 1. Cor.

Ad quod etiam nos hortatur S. Joannes Chrysostomus, dum ait: *Quando mysterium propositum fuerit, dic tecum: Hoc est illud corpus, quod fuit cruentatum & casum, flagris, in erucem actum & clavis confixum, quod percussum, univervo orbi terrarum salutares emisit fontes.*

l. 2. de div.
offic. c. 10.

Quas profectò cogitationes, inter sacra mysteria, si plerique Christiani suscipiant, non adeo remissè ac frigidè, ne dicam irreligiôsè aut impiè, quotidianis illis (ut Rupertus appellat) *Salvatoris exequijs* interessent. Expediet etiam ad uberiores animæ nostræ profectum, ut ipso Sacrificij tempore, nosmetipsos Deo unâ cum Christo, tanquam hostiam secundariam, primariæ illi ac principali victimæ adjunctam atque subnexam, per perfectam nostram (quoad ejus fieri poterit) abnegationem immolemus. Hæc enim pura nostri oblatio, per se quidem pretiosa apud

Deum,

Deum, multò tamen ei gratiosior evadet, si per eam quam dixi, cum dignissima illa hostia conjunctionem, ejus dignitate quodammodo aspersa, ejusve sanguine veluti tincta apparuerit. Audiamus omnes, & præsertim Sacerdotes, Magnum Gregorium hoc ipsum disertè graviterque præcipientem: *Necesse est ut cum hac agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis Dominica mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hostia erit Deo (scilicet Christus) cum nosmetipsos hostiam fecerimus.* Quibus videri potest ad ea respexisse, quæ itidem S. Cyprianus Sacerdotibus præcipit, his verbis: *Ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium plenum ac verum tunc offert Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* l. 4. dial. cap. 59.

Postremum denique: ut à Sacrificio revertentes, impressam menti passionis Christi imaginem, & inde cõceptos sanctos affectus, in diei reliquum solerter retinere curemus; seu (ut rursum cum S. Gregorio loquar) *in quantum Deo largiente possumus, in ipso animum suo pondere & vigore servemus; ne post cogitatio fluxa dissolvat, ne vana menti letitia irrepat, & lucrum compunctionis anime per incuriam fluxa cogitationis perdat.* l. 2. ep. 3. loc. cit.

Perinde itidem ac si, post spectatum cruentum Christi crucifixionis Sacrificium, de monte Calvaria descendere-mus, inque eorum numero essemus, de quibus scriptum est: *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, percipientes pectora sua revertebantur.* Luc: 23.

§. 3.

Eandem præceptionem peculiariùs ad Sacerdotem Sacrum facientem pertinere.

Sed quoniam, uti dicere cœpimus, Sacerdotes præsertim convenit, qui hoc in munere Christum ipsum crucifixum

repræsentant, & eundem illum Agnum Dei in ara crucis semel immolatum, eodem quasi perpetuo Sacrificio, Deo offerunt, hoc facere in mortis ac passionis Christi memoriam: idcirco visum est piam preteritionem ei fini maxime congruentem à Seraphico Doctore mutuam hic apponere, Sacerdoti ad sacrificandum accedenti, ex toto corde (ut ipse ait) recitandam. Ita autem habet:

Prepar. ad
Miss. c. 6.

Ecce celestis Pater, recolens mortem illam unigeniti Filii tui Domini nostri, offero tibi hanc hostiam, quam ipse olim obtulit pro mea & totius mundi salute, Ecce ad altare tue majestatis transmitto oblationem vivam, quam tu in miseratione multa misisti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius sacrosancti sudoris, quasi gutta sanguinis, decurrentis in terram. Respice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis & alapis casam, tumoribus lividam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam, clavis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas qua filium tuum traxit & vicit, ut in statera crucis totius mundi peccata libraret, ipsa te cogat, Pater, misereri nobis miseris. Respice, obsecro, non nostra peccata, sed in faciem Christi tui. Non enim in justificationibus nostris preces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum.

g. 83. a. 4.
ad 9.

Hæc S. Bonaventura: qui (ut obiter hoc moneam) in eo quod ait: *Ecce ad altare tue majestatis transmitto oblationem vivam*; partim ad id respicere videtur, quod Apoc: 8. scriptum est de altari, quod S. Joannes vidit in celo ante thronum Dei; partim ad id quod in Canone Missæ dicit Sacerdos: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum.* Per quæ (ut rectè Doctor Angelicus) Sacerdos non petit, neque quod species sacramentales deferantur in cælum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit; sed petit hoc pro corpore Christi mystico, ut scilicet orationes Sacerdotis & populi Angelus assistens divinis mysterijs Dei repræ-

representet. Ad eum igitur duntaxat modum dicitur divina oblatio transmitti ad altare cœleste, quo ad Deum ascendant piorum preces, sive (uti supra in Apocalypsi dicitur) fumus incensorum de orationibus Sanctorum.

CAPVT VII.

Eandem passionis Christi memoriam, etiam ad ipsam Eucharistiæ susceptionem, esse adhibendam.

§. I.

ipsum per se diuinum Sacramentum, etiam quandam Christi patientis imaginem præferre.

Porro quod in Missa audienda faciendum diximus; id, & multò maxime in ipsa sacra Dominici corporis communionem usurpandum est: ut nimirum absque peculiari passionis Christi memoria non accedamus ad Sacramentum illud; quod mundum relicturus Salvator nobis reliquit, non modò ut pignus amoris, sed etiam ut monumentum doloris sui.

Neque verò tantum corporis & sanguinis sui oblationem, sed sumptionem etiam frequentari voluit in passionis suæ memoriam: & de sumentibus loquebatur Paulus cum diceret: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis; seu commemorabitis.* I. Cor. II.

Deinde sacra Communio, quædam Sacrificij prius oblati participatio est: & si rei naturam institutionemque sequimur, ipsum corpus Christi non aliter aspiciemus aut sumemus, quàm ut victimam, cruento primùm Sacrificio in ara crucis, deinde in sacro altari in cruenta quadam ratione immolatam. Nam & nos de cruce Domini pasчимur (inquit S. Augustinus) quia corpus ipsius manducamus.

T

Igi-

C. Accesserunt, de cons. d. 20

Igitur etiam in hoc Sacramento Christi corpus, veluti corpus Crucifixi accipiendum est. Quo modo ex Ecclesie (præsertim Græcæ) ritu veteri, quando sacra Eucharistia viris in manus, fæminis in mundo linteolo, sumenda tradebatur, usu receptum fuisse scimus, ut manibus in crucis figuram decussatis illam reciperent; memores se in Sacramento Crucifixi corpus accipere, eamque sacram actionem, in ejusdem passionis ac mortis memoriam, usurpandam esse. Videri potest sextæ Synodi Canon 101. ubi præscriptum habes; *ut si quis immaculati corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, manus in formam crucis figurans, sic accedat & suscipiat gratia communionem.* Et ut alios Patres omitterem; Damasceni expressum monitum est: *ut, manibus in crucis formam compositis, Crucifixi corpus suscipiamus.*

*l. 4, de fide
cap. 14,*

Atque etiam in lege veteri, non sine mysterio præceptum fuit; ut Agnus paschalis, qui typus erat Sacramenti Eucharistici, ederetur cum lactucis agrestibus atque amaris; ut scilicet esset indicio, corpus Christi (qui Dei Agnus est, & mundi peccatum tollens victima) non sine amaræ passionis ipsius recordatione manducari debere. Et mysticè monemur in libro Ruth, buccellam nostram in aceto intingere; hoc est panis Eucharistici manducationem, fellis & aceti, quo ille potatus est, reliquorumque cruciatuum quos nostrâ causâ pertulit, meditatione condire. Tandem & Agnum illum legalem, in crucis formam expansum, assari solitum, ex S. Justino discimus: ut vel hinc etiam intelligamus, verum Dei Agnum in mensâ Eucharistica tanquam crucifixum à nobis accipiendum esse.

*lib. contr:
Tryph.*

Quid, quòd ipsæ etiam sacramentales species, sub quibus Christi corpus & sanguis consecratur & sumitur, Christi passionem non obscurè representare videantur, ejusque speciem & imaginem quandam oculis non prorsus ineruditus ingerere? Quippe cum & panis (Christi autem corpus anima-

animarum nostrarum verè panis est) de grano frumenti non nisi primum variè contuso ac commolito, deinde ex aqua bene subacto, & ad extremum calore ignis concocto conficiatur: in quibus quis non videat expressam tormentorum imaginem, quibus cœlestis ille panis, quò animæ nostræ sapidiior evaderet ac dulcior, multifariam quasi commolitus ac subactus est? Et vinum, (sub cuius specie Christi sanguis proponitur, qui verè potus est) non nisi de botris intorculari calcatis, aut validâ præli contorsione expressis eliquetur & confluat: in quo continuò menti occurrit torcular illud, in quo ipse Christus tot cruciatuum dolorumque pressuris, tanquam conculcatus & compressus est, ut nobis flueret præclarus calix, & vinum lactificans animas nostras.

Quò pertinet quod à Gratiano refertur tanquam ex C. Omnia
Ambrosio: *Panem quidem istum, quem sumimus in mysterio, de cons. d. 2. e*
illum utique intelligo panem, qui manu S. Spiritus formatus est in utero Virginis, & igne passionis decoctus in ara crucis. Quæ quidem quemlibet autorem habeant (nec enim inveniuntur in S. Ambrosio) rectè & ad rem nostram appositè dicta sunt. Hisque paria ac plura etiam inveniuntur in S. Petro Chrysologo sermone 61. ubi relatis illis Christi verbis: *Ego sum panis qui de caelo descendi: Ipse est panis (subdit) qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, illatus altaribus, caelestem cibum quotidie fidelibus subministrat.* Sic ille.

§. 2.

Patientis Christi recordatio, in sacra Eucharistia sumptione, quâ ratione usurpanda.

VTi capite superiori, simili in re faciendum suggestimus; passionis Christi commemoratio, ipsius item Sacramenti susceptioni tripliciter adhibenda est; ante ipsam, in ipsa, post ipsam.

T 2

Præ-

Primò igitur velim existimes: valde utilem atque accommodatam ad hoc Sacramentum suscipiendum præparationem esse; si priusquam ad illud accedas, aliquantum temporis in ea, quam dixi, passionis Christi meditatione ponas, mentemque deinde eorum mysteriorum imaginibus imbutam & quasi coloratam, ad sacram Synaxin adferas. Quem usum etiam commendabat sancta Mechtildis, cum diceret: animæ ad hoc Sacramentum accedenti curandum esse, ut ad Sponsi sui exemplar se componens, & ipsa candida sit & rubicunda; eumque in finem & prius lavandam, esse per sacram confessionem, & rubore tingendam per passionis Christi meditationem. Quò nimirum dicere possit cum S. Agnete: *Sanguis ejus ornavit genas meas.*

*P. 2. Firmi
cap. 17.*

Sanctus etiam Bonaventura graviter admonet: maxime exigi in isto Sacramento, ut qui ad illud accedit, per passionis Christi meditationem sit cum ipso Christo crucifixus. Itaque hortatur potissimum Sacerdotes, ut priusquam ad altare accedant, ruminent illam (ut ipse loquitur) magnificentiam charitatis, quâ Dei filius voluit pro nobis tam vilis fieri, & vermis reputari, & à vilissimis tam sava & turpia sustinere. Atque inflammati ardore illo inextimabili, sic pro se despecto, afflicto, vulnerato, compatiantur, intra se, perinde atque si ijs essent vulneribus vulnerati. Quod uti facilius obtineant, svadet discurrendum per singula vulnera, & nunc quantum in hoc, nunc quantum in illo vulnere passus sit, modò quanta fuerint & qualia ejus opprobria, modò quanta & qualia flagella, diligenter æstimandum. Ita ferè S. Bonaventura.

Vit. c. 38.

Secundò: in ipsa sacra communione præsertim, vivam apud te habe patientis Christi formam atque imaginem; & perinde animo affectus esto, quasi ipsum Christum crucifixum, & recentibus adhuc plagis suscipias: qualiter sibi aliquando in Sacramento conspectum, dum ad illud sumendum accederet, B. Angela testatur. Et

Et admonet sanè S. Chrysoftomus: *ut quasi de ipsa bibulari costa, & stillantem de corde hausturi sanguinem accedamus ad altare.* Idemque alio loco sic præcipit: *Ne ad Eucharistiam accedentes, putemus nos divinum corpus de manu hominis accipere, sed potius ab uno de Seraphim ignitum calculem, forcipe (ut scilicet vidit Iſaias) de altari sumptum nobis tradi credamus: ipsum autem salutarem sanguinem reputemus velut è divino & impolluto latere effluere, & sic accedentes, labijs puris accipiamus.*

Idem sensus est auctoris sermonis de Cœna Domini apud Cyprianum, dum ita ait: *Quàm pretiosus est calix iste, per quem cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris vulnera figimus linguam?* Quasi videlicet (quod S. Lutgardi, B. Magdalenæ de Pazzis, aliisque concessum legimus) in ea corporis crucifixi susceptione, admoveamus os ad plagam divini lateris, & cordis ejus etiamnum stillantis hauriamus igneas reliquias, eoque dulci in complexu, permixtis amoris, doloris, gaudij affectibus, absorbearmur.

Tertiò: post communionem cogita te instar B. Virginis, Christi corpus è cruce depositum, in gremio ac sinu gestare. Induc affectus plenos amoris, quos tunc sancta Mater experta est. Pretiosum illum & charum myrrhæ fasciculum, jam inter ubera tua commorantem, cordi tuo suaviter apprime. Contemplare studiosius melliflua ipsius vulnera, & ad illas Paradisi rosas reverenter ac piè applica interiores sensus animæ tuæ: illas osculare, palpa, gusta, odorare. Id cave sollicitè, dilectum tuum dum apud te habes, nequa te res aliorum distrahat, aut ab ipsis dulcibus osculis & castis amplexibus divellat.

Quò etiam pertinet præceptum illud auctoris modò citati: *Christi bajulus* (post susceptam nimirum Dominici corporis communionem) *ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente*: per piam scilicet circa ipsum Christum, ejusque passiones, exercitationem.

Potes

Hom. 84. in
Ioan:
Serm. in
Eucan.

ROY
LUPILLIO
TIT. BOIX
LUP. MIO
LUP. MIO
VI 13

Potes etiam non sine ratione aut exemplo, ipsum cor-
tuum, ut Filij Dei electum sepulcrum considerare, quod ip-
semet sibi ut locum quietis delegerit, & in quo à te cupiat
piorum desideriorum & sanctarum operationum aromatis
inungi. Certè, si (ut à nobis superius indicatum est) cor-
poris ac sanguinis Christi consecratio, idcirco ejusdem in-
cruce immolationem repræsentat, quòd per eam certà ra-
tione corpus Christi ut exangue & exanime exhibeatur:
consequens est ipsà communionem Christi sepulturam adum-
brari, & cor seu pectus divina mysteria participantis, in quo
corpus Christi sub panis specie recipitur, instar esse illius se-
puleri, in quod post mortem illatum & conditum est. Hoc
etiam affirmante S. Damasceno, cum ait: Christi corpus in
altari per Sacerdotis manus elevari velut in erucem; & dum
distribuitur ac sumitur, in nobis velut sepeliri.

*l. de corp.
Christi.*

l. II. c. 24.

Idque adeò ei, quam supra laudavi, S. Mechtildi ali-
quando à Dei Matre monstratum est. Nam cum ferià sex-
tâ majoris hebdomadæ, horâ Completorij, uti aliàs sæpe,
apparuisse B. Virgo, & ab ea sibi præcipi audisset; accipe-
ret filium suum dilectissimum, eumque in corde suo sepeli-
ret: continuò sensit cor sibi in morem argentei sarcophagi
conformari, operculum aureum habentis (quibus quidem
metallis munditia cordis, & sancti amoris vis, quâ Deus in
corde amantium retinetur, adumbrabatur) móxque ipsum
Christum eo quasi conditorio recipi, deque ejus præsentia
exultantem animam cœlesti quadam suavitate perfundi.

§. 3.

*Quæ hoc capite dicta sunt, insigni documento
confirmantur.*

TAndem ad eorum, quæ hætenus dicta sunt, confirma-
tionem, placet hic referre, quod sanctæ Virgini Lydvi-
næ aliquando contigit. Tenebatur illa, quodam die, ma-
gno

gno desiderio sacram Eucharistiam recipiendi: qua in re cum Parochus se satis difficilem præberet, idque illa ferret gravatè; adstitit illi Angelus, qui nunciaret; ei consolandæ atque erigendæ; ipsum per se Christum haud ita pòst esse adfuturum. Porrò advenientis Salvatoris pompa hæc fuit.

Præibant è cœlesti militia præclari juvenes; atque alius crucem, aliùs clavos, lanceam alius, alij alia Dominicæ passionis insignia præferentes, pauperi Virginis lectulo circumfunduntur.

Subsequitur sanctissima Dei Mater, non sinè insigni aliorum Sanctorum comitatu. Demum ipse Christus, in forma primùm speciosissimi pueri; qui deinde in virum ætatis perfectæ mutatus, velut crucifixus tertioque spineo coronatus, ac toto corpore sanguinolentus apparuit: tandemque (rogante Virgine, ut ei aliquod præsentia suæ signum ac monumentum relinqueret) in speciem candidæ ac radiatæ hostiæ conversus est: quam in mappula relictam, & conspicuâ Christi crucifixi figurâ, vulneribus etiam cruentis, & sanguineis guttis spectabilem, ipsa denique de Parochi manu suscepit, cum animi sui exultatione incredibile.

Ex quo exemplo fit perspicuum, quod dicebamus, divinissimorum mysteriorum participationi solennem passionis Christi memoriam intermiscendam; idque ipsi Salvatore nostro gratum in primis & complacitum esse.

Ad extremum addimus; quod de passionis Christi memoria ad Eucharistiæ susceptionem adferenda hîc diximus; id, tamen minùs evidenter, attamen suo modo in reliquis quoque Sacramentis locum habere: quippe cum omnia ex Christi passione vim habeant, ejusque merita ac sanguinem speciali ratione contineant. Præcipuè verò in Sacramento Pœnitentiæ, in quo dum peccator à Sacerdote absolvitur, meritò sibi figurabit, quasi sub ipsa Christi cruce positus, perfundatur ipsius sanguine, de apertis adhuc vul-

neri-

neribus ad ipsius emundationem scaturiente. Quæ cogitatio etiam cautioni serviet, ne deinceps repetitis sceleribus, in se polluat divinum sanguinem, & salutis vitæque æternæ pretium convertat in damnationis argumentum.

CAPUT VIII.

Christum patientem in membris suis agnoscere.

§. I.

Egenos, afflictos, ulcerosos, ut proprias Christi patientis imagines aspiciendos esse.

*Serm. 4.
de Nat.*

Siquidem ex quo Dei Filius, cum carne nostra mortali, ejus miserias atque ærumnas in se suscepit, easque in suo corpore (uti S. Bernardus loquitur) dedicavit: oportet nos illas alijs jam oculis aspicere; & tanquam res ipso Christi tactu consecratas, imò veluti ea quæ ad sacram ipsius humanitatem pertinuerint, ei que inhæserint, cum amore, cultu, ac reverentiâ tractare. Etenim ut ait Theodotus Ancyre Episcopus, hom: 2. de Nativitate: *In se suscepit crucem (sive, ut in Græco est, familiarem sibi ac peculiarem effecit) suam fecit alapam, vincula sua fecit; ut Dei propriæ effectæ passionem, adversus passiones acciperent potestatem.*

*de Ger. re-
lig. c. 16.*

*In 3. p. q. 46
n. 5.*

Quod si, ut sapienter philosophatur S. Augustinus, Dei Filius opes, delicias, honores ac mundi gloriam, & reliqua quæ tanti æstimantur ab hominibus, ipso neglectu ac despicientiâ, sive (ut ipse ait) *carendo vilia fecit*: profectò quæ his adversa sunt, inopiam, labores, dolores, contemptum, opprobria, in se assumendo suâque faciendo, pretiosa effecit, imò (ut loquitur Cardinalis Cajetanus) deificavit, eoque non amore tantùm, sed etiam veneratione dignissima reddidit. Idque eò magis, quòd miseriæ nostræ atque ærumnæ, non extrinsecus duntaxat, aut solo contactu (ut flagel-

flagella, crux, clavi) ad sacram ipsius humanitatem attinuerint: sed eas in seipsum Dei Filius, tanquam corporis animique sui affectiones proprias, intimo quodam modo admiserit, easdemque ut interiora ac propiora instrumenta, ad salutis nostræ procuracionem adhibuerit.

Quamobrem, si ultrà intendamus animum, facillè erit & illud efficere: quemadmodum non ipsam duntaxat crucem in qua pependit, sed etiam illius effigies, ab illo divini corporis tactu, sanctitatem quandam ac dignitatem accepisse censemus (neque enim ipsam Domini cruceem, sed eius aliquod simulacrum, contuebatur S. Andreas, eum diceret: *Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata*) ita nos miseras mortalis vitæ, non tantùm in Christo, seu prout à Christo in seipso susceptæ sunt, sed etiam prout inveniuntur in membris ejus, hoc est, in miseris & ærumnosis hominibus, veluti earum quas ille proximè in se admisit, expressas imagines, imò ut earum portionem quandam, extensionem aut appendicem, agnoscere ac venerari debere. *Adhuc enim Christus hic* In Ps. 86.
eget (inquit S. Augustinus) *Christus hic peregrinatur, Christus hic aegrotat, Christus hic in carcere includitur.* Atque hoc est, meâ sententiâ, quo passionis Redemptoris nostri crebrò ac facillè commoneri possimus, si videlicet assuescamus, Christum patientem agnoscere in omni paupere, & membrorum ejus afflictiones, tanquam Christi passiones intueri.

Nam si (ut exempli causâ hoc ponam) S. Franciscus ad solum Agnelli aspectum totis commovebatur visceribus & solvebatur in lacrymas, in innocentis ac mitissimi animalis schemate, illum agnoscens Agnum Dei sanctum & immaculatum, qui in ara crucis pro peccatis nostris immolatus est: aut, si tantùm inspecto vermiculo, is continuò illi succurrebat, qui de se pronunciaisset per Prophetam: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio ple-*
Ps. 27.
bis;

bis; ut proinde nec æquo ferret animo, id genus reptilis pe-
 de proteri, quòd illud ut typum aspiceret Salvatoris nostri
 in passione sua abjecti atque despecti: Quantò magis par-
 sit, ad pauperum & ulcerosorum quotidianum aspectum,
 ejus nos piè meminisse, qui propter nos egenus factus est cum
 2. Cor. 8. *esset dives*; languorèsque nostros & dolores nostros, instar
 leprosi, portavit? Quod facere solitum eundem etiam S.
 Franciscum, testatur Vbertinus de Casali, dum (ad quædam
 verba S. Bonaventuræ respiciens) de eo ita loquitur: *Con-*
 1ib. 5. c. 3. *tuebatur in pulchris pulcherrimum; in infirmis autem, infirmi-*
tates quas pius IESVS pro nostra salute portavit; de omni-
bis sibi scalam faciens ad apprehendendum dilectum. Expres-
 sius autem de eodem loquens ipsemet S. Bonaventura: *Li-*
 1it. cap. 8. *quescebat* (inquit) *animus ejus, ad pauperes & infirmos; cum*
in pauperibus cunctis effigiem Christi perspiceret. Quod vel eò
 maximè nos quoque facere oporteret, quòd ærumnosi affli-
 cti que mortales, non tantùm typus sunt aut umbra aliqua
 patientis Salvatoris, sed expressæ quædam ac vivæ illius ima-
 gines, imò membra ejus in quibus ipse adhuc patitur, & in
 quibus ipse præceperit, tanquam in Legatis ac Vicarijs suis,
 honorem sibi obsequiùmque præstari. Vnde B. Ambro-
 sius in Psalmum 118. *Si videamus* (inquit) *pauperem, illum ad*
cujus similitudinem factus est, honoremus in paupere; de quo
ait: Deditis mihi manducare; quia quod uni eorum dedistis,
mibi dedistis. Vides ergo (subdit) *quia inter multas Christi*
imagines ambulamus.

Itaque pauper, afflictus, ulcerosus, viva quædam Chri-
 sti patientis imago est. Vt subinde mirari subeat; cum
 nemo ferè sit Christianorum, qui imagine conspectâ, quæ
 Christi dolores, aut coloribus expressos, aut scalp pro effictos
 repræsentet, non continuò moveri se sentiat ad passionis
 Christi memoriam, ejusque cultum ac venerationem: ra-
 ros tamen esse fortassis, qui ad hominum miserorum con-
 spe-

spectum, & eorum præsertim, qui aut ulceribus cooperti, aut plagâ aliquâ insigniore sui miserationem concitent, animum referant ad virum dolorum, cuius illi vivæ ac propriæ imagines sunt; adeoque (si rem penitiùs introspeciamus) majori honore ac reverentiâ habendæ; quòd istæ alia inanima simulacra, Christo potiùs quàm alteri cuiquam præsentando, piâ hominum voluntate, addicta & consecrata sint: afflictos autem & ærumnosos, ut vicarias sui imagines ipse sibi Christus substituerit, & sese in illis, ac si præsens esset, agnosci, foveri, atque honorari voluerit.

Veruntamen sic comparatum est, ut sensuum potiùs consuetudinem, quàm fidei disciplinam secuti, in illis magis quod naturâ sunt, quàm quod ex divino instituto repræsentant, intueamur: facitque spectandi assiduitas, ut inter tot Christi patientis imagines, ambulantes, eas absque ulla passionum ejus memoria, & sinè speciali pietatis sensu prætereamus.

§. 2.

Multiplex istius persuasionis utilitas.

Cæterùm, mi Lector, si ex ea quam nunc proponimus Cexercitatione, fructum aliquem consequi desideras; aliter tibi erudiendus & assuefaciendus est animus; & intimis sensibus imprimenda ista persuasio: nimirum pauperes & ærumnosos, veras ac vivas Christi patientis imagines esse. Istam quippe intimam persuasionem multiplex consequetur utilitas.

Prima: ut ad pauperis & ærumnosi hominis aspectum, nullo negotio, sed magno tamen operæ pretio, veniat in mentem afflictissimi IESU, quem velut præsentem agnoscas in sui imagine; eique, dolores ejusmodi, olim in carne sua, nunc in membris suis mysticis patienti, tenero sensu, & pio subinde suspirio condoleas, eumque (quoad facultas

erit) sublevare contendas. Etenim misellos ejusmodi, ipsum sibi Christum substituisse, non utcumque ut sui imagines, sed etiam velut exactores ac procuratores suos, quibus utique à te solvendum sit, quod ipsi debes, pro omnibus quæ tuâ causâ aut egit, aut passus est.

l. 2. Vit.
cap. 7.

Ut proinde, ex quadam P. Nostri Vincentij Caraffæ commentatione, ad pauperum & miserorum occursum, meritò apud animum tuum eam quasi Christi vocem audias, illos commonstrantis atque dicentis: *His solve, quod mihi debes.* Quâ cogitatione inductus Vir ille sanctus, ita secum firmè statuerat: *Deum adamabo propter se, & propter ipsum vivis ejus imaginibus inserviam.*

Secunda: paulatim condocesiet animus, pauperes etiam ulcerosos & horridos non averfari, sed potiùs amare atque complecti, tanquam proprijs Christi insignibus ornatos, eique familiares ac domesticos; eisquæ proinde cum res tulerit, etiam libenter te adjunges, solandi aut optulandi gratiâ.

1. Reg. c. 9.

Hoc enim ab ijs qui Evangelicæ perfectionis studium profiteantur, meritò exigit S. Franciscus in Regula; præcipiens Fratribus, ut studeant sequi humilitatem & paupertatem Domini nostri Jesu Christi: atque vilium & despectorum, pauperum & debilium, infirmorum & leproforum, consuetudine gaudeant. Et S. Vincentius, Tractatu vitæ spiritualis cap. 15. inter plura præcepta ad vitam spiritualem apprimè conducentia, istud quarto loco ita proponit: *Ue societatem, contubernium & apparatus divitum & magnatum fugias, non ex contemptu: tantum de societate pauperum glorieris, & in memoria, aspectu atque conversatione pauperum & despectorum totus lateris, quasi expressa imagine Christi, & eis quasi regibus, cum summa claritate, & jucunditate, & reverentia associeris.* Quibus verbis etiam confirmatum habes quod præsertim hoc capite contendimus: homines pauperes

res & despectos, expressas esse imagines Christi pauperis atque despecti; adeoque à nobis, non humanè tantùm & benevolè, verùm etiã reverenter habendos ac tractandos esse.

Tertia: efficiet denique ea itidem cogitatio, ut pauperibus ægris, quantumvis squalidis & horridis, ubi usus fuerit, Christi amore libenter inservias; atque eam ob rem nosocomia subinde invisas, & languenti Christo in illis suis imaginibus, subsidij aliquid aut solatij, veluti si illum præsentem intuereris, quã par est animi devotione ac religione impertias.

Cui persuasione ac religioni in nobis confirmandã, non rarò usavenisse legimus, ut à viris sanctis, non (ut ipsi secum reputabant) leprosus Christum repræsentans, sed leprosi specie & habitu ipsemet Christus exceptus sit. Quòd facit illud B. Ambrosij, libro primo de Abraham: *Quis scis an Deum suscipias, cum hospitem putas.* Et istud S. Augustini admonentis Christianos, hospitalitatem studiosè esse exercendam; *ne forte (inquit) cui domum clauseritis, cui humanitatem negaveritis, ipse sit Christus.* Ut inde non abs re B. Angela, cum die quadam sanctioris hebdomadæ, hospitali domum, leprosis inservitura, conviseret, adhortaretur sodalem suam: *Eamus, inquiens, forsitàn inveniemus Christum inter illos pauperes ulcerosos.*

Sed quoniam de hoc argumento piè admodùm disse- rit S. Bonaventura, ipsius verba, licet pluscula, juvabit ad- scribere: *Indicabo (inquit) tibi, Sponsa, quem diligit anima tua. Certè in infirmaria jacet, ibi angustiatur, ibi dolore gravatur vel torquetur. Curre, & sibi ministra, sibi que compa- tere infirmanti. Cur infirmas, Sponsa, quotidie, ut Sponsi osculo osculeris? Accede ad leprosum, & osculare eum, quia ibi jacet. Cur Sponsa misera, præ Sponsi amore languere te dicis; & ipsum quotidie nudum, discalceatum & afflictum ante te vi- des transire, & negligis, & etiam non compateris ei?* Et qui- busdam

cap. 5.
De s. baro.
cap. 3.

VI, c. 30

p. 2. sim.
cap. 7.

busdam interjectis: *Non interrogemus eum* (inquit) *de caetero: ubi jaces, ubi cubas in meridie? Quia jam novimus locum: scimus enim eum in infirmaria* (seu in Nosocomio) *jacere. Non autem restat, nisi prestare obsequium.* Sic ille.

Præmiserat autem; sibi quidem persuasum esse: eum qui hoc pacto ex Christi amore, Christo verbi causâ, in paupere ulceroso laboranti curam ac solatium impendat, rem Deo acceptiorem, & majoris apud Deum pretij facturum, quàm si Christo ipsi in sua persona idem præstet obsequij: quòd Christo quidem per se apparenti, & in leproforum hospitali sede jacenti, nemo futurus sit Christianorum, qui si vel tantillum pietatis habeat, ejusque rei gnarus sit, non summâ curâ summòque affectu inserviat: at verò eidem, in pauperis persona, ope nostrâ operâque egenti, pari animi sensu, parique diligentia adesse, non sit nisi hominis virtute perfecti ac consummati.

§. 3.

Studium istud ad Christi Sponsas propriâ quadam ratione spectare.

Ceterùm, cum istæ Seraphici Doctoris adhortatio, ad eas præsertim videatur spectare Christi Sponsas, quæ mundi illecebris abdicatis, uni se Christo probare student, eòque Sponso & amatore gloriantur: par erit illas attendere, quænam in re præsentis suæ partes sint, aut quid hic ab eis meritò expectari possit.

Hæ siquidem si dilecti sui desiderio & amore langueant, eumque sollicitè, non modò in lectulo, per quietem sanctæ contemplationis, sed etiam piæ actionis studio, ut illa Sponsa de Canticis (quoad patietur susceptæ vitæ ratio) civitatem circumeuntes, per vicos & plateas inquirent, eum certè, cum volent, non difficulter invenire poterunt. Ecce enim esurit, sitit, nudus est, alget in isto paupere: ecce

in isto ægro infirmus est, in isto leproso ulcerosus. Frustra enim quæris, cui jam in seipso officia humanitatis exhibeas: pridem quippe rebus ac miserijs nostris exemptus, declinavit & transijt, assimilatus capræ hinnuloque cervorum, super montes aromatum. Ne tamen omninò se tuis obsequijs subtraheret; en istos reliquit veluti sui Vicarios, per quos istæc à te pietatis officia suscipiat, & in quos quidquid benignitatis contuleris, id sibi præstitum atque impensum interpretetur. *Quamdiu enim (inquit) fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matt. 25.

Atque illæ (si me, imò si Seraphicum Doctorem, audiant) rem profectò se dignam, & Sponso suo acceptissimam facient, si de sanctarum Catharinæ Senensis, Svecicæ, Gemuenfis, & aliarum Christi Sponsarum imitatione (nec verò hodie exempla desunt, etiam Virginum, Matronarumque Illustrium) Nosocomia & Leprocomia ex intervallo vilant, ibique jacentia Christi membra, non sermone tantum aut erogatâ stipe, sed pio etiam labore, & obsequio impenso solentur; còque Christianæ pietatis spectaculo, non homines modò, sed ipsum præsertim dilectum, sub miserorum illorum persona latentem, & quasi ex occulto prospiciantem, oblectent.

Neque id officij ab eo sexu alienum existimabit; qui, præter alia exempla subsequen- Theodoret. l. 5. hist. cap. 18. timque Placillæ Augustæ præclara eo in genere facinora, attenderit à Tertulliano commendari matronas Christianas, quæ etiam vigente persecutione solebant, vistandorum fratrum gratiâ, vicatim aliena & quidem pauperiora quæque tur- xor. cap. 4. De cult. famin. c. 11. guria circuire. Tametsi in omnibus honesti atque decori habenda ratio est, & zelus quandoque ardentior, prudentis directoris consilio temperandus.

Equidem, ut sensum meum S. Bonaventuræ menti subjungam; non dubitem opus ejusmodi, plerumque Deo acceptius,

ceptius, & ad spiritualement animæ profectum ex genere suo conducibilis esse; quàm si, pio quidem, sed non adeò heroico labore, aut sacris altaribus velandis, auro pallia gemmisque intertexant, aut ijs ornandis, seu de nativis rosis atque violis corollas, seu de serico depexo flores, etiam hyeme duraturos, proximè ad veritatem conficiant, aut ipsi etiam divinisissimo Christi corpori, in Missæ Sacrificio, reclinando, mundas sindones adaptent: in quibus plerumque, non illa robusta amoris vis, sed mollior inest & satus delicata devotio.

Quam in sententiam quando conspirantes habemus complures Patres; placet in hunc locum duos duntaxat adducere, ei rei firmius stabilendæ, & aliquâdo concludendæ.

Igitur S. Hieronymus, Demetriadem Romanam Virginem, præstantem genere atque opibus, & Christo recens consecratam informans, ei inter cætera sic præcipit, & perquam appositè in rem præsentem: *Alij ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles adhibant, eorumque deaurent capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore argentoque valvas, & gemmis aurata distinguant altaria: non reprehendo, non abnuo. Vnusquisque in suo sensu abundet: meliusque est hoc facere, quàm opibus incubare. Sed aliud tibi propositum est: Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maxime in domesticis fidei: Virginum alere monasteria, servorum Dei & pauperum spiritum habere curam, qui diebus & noctibus serviunt Domino tuo, qui in terra positi imitantur Angelorum conversationem, & nihil aliud loquuntur, nisi quod ad laudes Dei pertinet.* Sic S. Hieronymus.

At S. Joannes Chrysostomus etiam exaggeratius & inculcatius idem commendat, eadem sententiâ, totidem fere verbis, tribus in homilijs repetitâ: quo vel sic ostenderet, quan-

quantum ea in re momentum inesse crederet. Ita autem loquitur: *Vis corpus Christi honorare? Ne nudum eum despicias: nec eum hic quidem* (nimirum in Ecclesia seu altari) *Hom. 51. in sericis honores vestibus; extra verò* (hoc est, in pauperibus) *Matt. 60. gelu & nuditate pereuntem contemnens. Qui namque dixit: ad pop. An- tisch. &c. Hoc est corpus meum; & verbum facto confirmavit; hic & dixit: Esurientem me vidistis, & non pavistis me. Et post pauca: Quanam utilitas est, cum ipsi mensa (hoc est, altare) sit auris calicibus plena, ipse verò fame dispereat? Ipsum saturam prius esurientem, & tunc ex abundantia ipsius quoque mensam orna. Et quibusdam rursus interpositis: Hoc & in Christo cogita, cum vagus & peregrinus, indigens tecti circumeat; tu verò prætermittens eum suscipere, pavimentum pariter ornas (Ecclesie scilicet) & columnarum capita; & argenteas quidem catenas ad lucernas suspendis; ipsum autem in carcere vincitum ne vis quidem visere. Et hæc dico (inquit) non prohibens illa etiam studiosè fieri; sed suadens cum illis & ante illa misericordiam exhiberi.*

Confirmat autem dictum suum varijs subindicatis rationibus: ut, quòd ei qui honorandus sit, jucundissimus is honor accidat quem ipse sibi cupiat deferri: Christus autem præsertim se honorari velit in paupere. Deinde, quòd nemo ob prætermissum exquisitiorem templorum ornatum reprehensus sit: puniendus autem sit sanè graviter, qui Christi curam in pauperibus neglexit. Denique, quòd istic major sit gloriæ & vanæ ostentationis suspicio: hic verò simplicior ac sincerior beneficentiæ ratio.

CAPUT IX.

Ex rerum creaturarum aspectu, in passionis Christi memoriam venire.

§. I.

In natura rerum complura passionis Dominica vestigia reperiri.

Multa sunt in natura rerum, quæ passionis Dominicæ speciem & imaginem quandam sensibus intuentium, ingerant, piæque mentes ad eam recolendam exfuscitare, possint. Ut enim omittam, eorum pleraque quæ in usus nostros ac sensus passim incurrunt crucis in se figuram præferre; uti S. Justinus, Tertullianus, aliique Patres adversus Gentiles disputant; tametsi in usus quotidianos ita veniant, ut absque animi reflexione usurpentur: quædam sunt alia, naturæ dicam miracula, an lusus divinæ Sapientiæ? quæ & raritate & novitate suâ, & insignioribus passionis Dominicæ notis, spectantium animos magis rapiant, & sive in divinæ sapientiæ admiratione, sive in suavi passionis Christi memoria ac contemplatione potentiùs detineant.

Ubi in primis occurrit animo, planta illa supra modum mirabilis, quam Hispani Granadillum vocant, in Peruano regno aliisque circum nonnullis Provinciis nascens; cujus passim figura circumfertur: in cujus nimirum flore, ac fructu, velut exsculpta cernuntur, columna, clavi, corona spinea, & omnis propè Dominicæ passionis apparatus. Ut videri possit illis populis, naturale istud passionum Christi simulacrum, autoris naturæ benignâ quadam atque suavi providentiâ, ad ejus mysterij firmandam fidem alendamque memoriam, singulariter esse concessum.

l. 2. de cruce, cap. 6.

Additque hæc referens Jacobus Bosius; accepisse se à fide dignis, eodem in regno fructum existere, in cujus dissecati medulla, non crucis tantum signum aliquod, sed etiam Crucifixi imago, expressa cernatur.

Sed & memoratu dignum videtur, illud cancerorum genus, quod in Sinico mari inventum est: in quorum dor-

fo purpurascete, videre est insignem & candidis notis pulchre expressam crucem, eamque triumphali specie: quippe crucis stipite, velut è gleba quadam, enascente & decorè surrecto; utrimque autem ad crucis latera vexillis duobus ex ipso crucis pede subnascentibus; quali formâ in signum victoriæ, Christo de morte triumphanti vexillum in manum dari solet à pictoribus nostris. Quam etiam rem attentius inspectam, nobis affirmant qui à Sinis revenère Patres, non exiguum momentum ad quorundam ad Christum conversionem attulisse.

At hoc quod jam dicam, haud equidè scio, naturæ miraculo, an superiori ac divinæ virtuti adscribendum putem: Ad B. Virginis Bivonensis ædem in Sicilia, jam olim oleum scaturire odore cœlesti, eaque insuper proprietate, ut illius guttæ, quocunque tandem modo decendant, non (uti assolent) in orbem se colligant aut diffundant, sed sese semper in crucis figuram diducant: uti etiam haud pridem literis inde missis confirmatum est.

Illud etiam mirabile, in marmoribus dissectis extitisse aliquando, non quædam duntaxat passionis Dominicæ insignia, sed integram etiam Christi crucifixi effigiem, nativis inibi coloribus efformatam: qualem unam aliquam aiunt Venetijs in ædibus S. Georgij monstrari.

Extant denique sæpius in gemmis aliisque lapillis naturaliter, quædam Domini nostri cruciatuum monumenta: cujus rei specimen aliquod profertur in vita B. Aloysij Gonzagæ. Siquidem is etiamnum puer, dum ab Italia in Hispaniam cum matre navigat, inter marinos scopulos lapillum offendit, certis distinctum notis, quæ Christi plagas referre viderentur. Quo ille invento mirè lætus, idque divinitus sibi oblatum interpretans, quò certius intelligeret, vitam sibi Iesu Christo conformem & cruciatuum ejus affinem, esse suscipendam; confestim ad matrem conversus: *En-*

L. 1. Vit.
cap. 17.

Domina (inquit) *quod mihi Deus obtulit: & tamen Pater ad-
huc me verabit Religiosum fieri?* Ita mens bona in succum
suum vertit omnia, & (quæ amantium est indoles) de mini-
mis etiam vestigijs, divinæ super se sapientiæ consilia, &
quasi voces Dei se vocantis, venatur.

In epitom.
c. 8. §. 1.

Addere libet, quod his pridem scriptis legere contigit,
apud religiosum oculatumque testem Joannem Gonzalez
Hispanum ex Ordine S. Augustini: quod nempe juxta Mo-
nasterium S. Catharinæ de Badajia ejusdem Ordinis, in ipso
colle lapilli legantur, perfectam cordis figuram habentes,
impressis notis quinque decussatim implexis, Christi vulne-
rum formam referentibus, & S. Catharinæ rotam exprimen-
tibus: cujusmodi quosdam se quoque ibidem vidisse &
collegisse testatur.

Nonnulla his affinia, aut etiam mirabilia, videri
possunt apud Joannem Nider in Formicario l. 4. c. 6.

§. 2.

*Amantem animam omnibus propemodum in rebus dilecti
passionem agnoscere.*

Verùm ista quoque, ijs quas dixi rebus, inscripta passio-
nis Christi monumenta, etsi magnam per se vim ha-
bent, ad id tamen quod isto capite exequendum suscepi, mi-
nùs faciunt: quippe quæ extra usum communem posita, &
certis duntaxat contenta locis, utilitatem ac fructum non
ita latè patentem habeant.

In primis igitur id adjungimus: Christum Dominum
vehementer amanti, & in ejus amarioribus doloribus commedi-
tandis exercitato, non fore admodum difficile, omnibus
propemodum in rebus passionis ejus argumenta aliqua re-
cognoscere, iisque conspectis revocare animum ad piam
dilecti pro ipsis passi recordationem.

Ut enim profanus amator, non modò ad imaginis aspectum quæ dilectæ formam referat, verùm rei cuiusvis, quæ ullo modo ad eam pertineat, aut ab ea profecta sit, uniusquam etiam capilli, ræniolæ, floris, aut reculæ alterius eijusmodi, consideratione, quam ut favoris notam ab amata acceperit, inardescere solet; suisque impuris ignibus, pabulum undelibet invenit: ita in his flammis ardoribusque sanctioribus, Christum diligenti, res omnis, quæ quomodocunque respectum ad illum habeat, facilè offert dilecti memoriam; & cum in omnibus eum quærat, fit quoque ut illum in omnibus invenire videatur.

Itaque de B. Jacobo Tudertino (quem Jacoponum, vulgò dicimus) proditum accepimus: cum ardenti quodam Jesu Christi amore æstuaret, eumque semper in corde, semper præ oculis mentis haberet, quandoque obviarum arborum unam aliquam esse complexum, & quasi si ulnis Christum stringeret, inter amplexus exclamasse: *O dulcis IESU! ô suavis IESU! ô IESU amantiissime!* Quemadmodum jam antè observârat S. Bonaventura; post sanctas lacrymas, aut passionis Christi attentam considerationem, homini Deum amanti ita subinde efferri cor & effervesce-
re; ut præ exultatione nimia, admodum ebrj præcipitanter gradatur, quietem non suslinens; & creaturas quas invenit, sui Creatoris amoris magnitudine, amplectetur.

Nec absimile multùm quod de B. Catharina Genuensi legimus: eam cum assiduo dilecti amore langueret, atque ardoris vim depascentis intima ferre non posset, quò ei nonnullum velut laxamentum quæreret, in hortulo subinde deambulare solitam, & cum ipsis plantis arboribusve, ac si æstus suos intelligerent, sermocinari: *Et nonne vos, inquit, Dei mei partus & genus estis? nonne ejus imperia ac nutus etiam sentitis; & ubi de vobis quidpiam ille postulaverit, summa observantiâ atque alacritate paretis?* Ita illa in rebus omni-

Rader. in
vit.

p. 3. sim.
cap. 6.

vit. c. 27.

mnibus, non tam quid essent, quam à quo essent, intuebatur. Quo modo etiam S. Franciscus, creatas res omnes, nec rationis modò, sed etiam sensùs expertes, ut Solem, Lunam, elementa, fratrum ac sororum nominibus compellabat; agnoscens in ijs communem omnium parentem Deum; qui, ut dicitur in libro Job, est pluviae Pater, & genuit stillas roris; & de cujus utero egressa est glacies, &c.

cap. 38.

Itaque propius ad rem nostram; quemadmodum idem vir sanctus, quod superius observavimus, in quovis agnello aut vermiculo Christum pro se passum, contritum, immolatum intuebatur, eoque aspectu concitabatur ad ejus dolores commiserandos, atque lugendos: ita solers & piè in Crucifixum affectus animus, in rebus alijs ejusmodi, non difficilè inveniet similem aliquam passionis Christi recogitandae materiam. Velut de se scribit Vbertinus de Casali: didicisse nimirum, tum fratris Joannis Olivi (quem Seraphicæ Sapientiae Doctorem appellat) tum maxime Jesu interius docentis, magisterio; in omni aspectu cujuscunque creatæ naturæ, quasi ubique intueri dilectum, & seipsum semper sentire cum Jesu mente & corpore crucifixum.

Prolog. 1.
arb. 911.

Ann. 1213.
n. 37.

Idem S. Franciscus (teste Luca Wadingo in Annalibus) ad aspectum petrarum fissarum in monte Alvernæ vulnerabatur animo; memor videlicet mortis Unigeniti Dei, quam conscia rupes, & ipso tanquam dolore ruptæ, hodieque testarentur.

In epist. de
S. Cathar.

De S. Catharina Senensi scribit B. Stephanus Carthusianus, qui priusquam id institutum suscipere, cum sancta Virgine diu familiariter versatus est: eam, cum in rebus universis Deum quæreretur inveniretque, florum tamen contemplatione in primis teneri, atque inde ad Deum ascendere solitam: auditamque à se testatur, cum, ad floridi prati occursum, ad comites diceret: *Num animadvertitis, quemadmodum res universæ conditorem suum commendant ac predicant?*

dicant? Me sanè flores hi purpurei apertè commonent plagarum Salvatoris mei. Floris rosæ aspectu compungebatur. S. Basilius; prout ipsemet scribit homiliâ de Paradiso: Florida quidem est rosa, inquit; sed mihi tristitiam insiguit. Quoties florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut spinas & tribulos proferret, condemnata est. Potuit is ipse, potest & quilibet vir pius, rosarum quoque aut verprium ac tribulorum aspectu, admoneri spinarum, quibus Domini vertex fadè compunctus & laceratus est; eadèmq; arte plerisque alijs in rebus Dominicæ passionis notas & quasi vestigia deprehendere: præsertim adjunctâ, eâ quam subijcio, consideratione.

§. 3.

Ad eundem finem quædam latè patens, sed magis arcana, consideratio.

Verùm subtiliùs consideranti, offert se quædam latissimè patens, sed magis arcana & recondita ratio; quâ rerum omnium quæ nos circumstant, vel quas ad vitæ necessitatem ac cultum adhibemus, aspectu atque usu, non admodum difficili negotio, passionis ac mortis Salvatoris nostri admoneamur: si nimirum eas non secundum externam speciem, quam sensibus nostris ingerunt, aspicere; sed ut quædam tormentorum ac necis ejusdem Salvatoris instrumenta, intueri condiscamus.

Nam, præterquam quòd pleræque omnes, sive vi suâ naturali, sive carnificum malignitate ad Christi cruciatus amplificandos reipsâ convenère (uti deprehendet, qui res omnes quæ in universo sunt, ad ipsam cruciamentorum Christi multitudinem ac varietatem comparare instituerit) nulla ferè res est earum quæ in sensus nostros & usus cadunt, quæ non aliquâ ratione sceleribus nostris argumentum ac materiam, adeoque & mortis Christi causam, non præbuerit.

Atque

Rom. 6.

Sap. 5.

Atque uti res creatæ omnes, quibus humana malitia ad earum Conditoris offensam violenter abutitur, quædam quasi tela sunt, quibus illa pugnat atque rebellat contra Deum (secundum quod etiam Apostolus, membra peccantium arma iniquitatis appellat) eaque propter & ipse Creator, quò hostes suos suis ipsorum armis conficiat, in die victæ *armabit creaturam ad ultionem inimicorum*, ut in libro Sapientiæ dicitur: ita eadem res ad Christum Dominum comparata, non absurdè considerabuntur tanquam instrumenta furoris nostri, quo ipsum insanè in crucem egimus atque occidimus.

Et quanquam hæc ratio, magis ex vero ipsis peccatis nostris convenire videatur; quæ quatenus per se causam mortis Christi attulere, illa utique parricidialia tela sunt, quibus ille percussus & vulneratus occubuit: attamen, quando in allegoria versamur, non improbanda ratione, licebit ipsam scelerum nostrorum catervam, magis ut lictorum & carnificum turbam attendere, quorum manibus Salvator ad mortem ductus & patibulo suffixus sit; in hanc etiam mentem ducente nos divinâ Scripturâ Isaia cap. 53. ubi versu 6. ita legimus ex septuaginta interpretum versione: *Dominus tradidit eum* (nempe Christum) *iniquitatibus nostris*; & versu 8. *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem*; utique tanquam à lictoribus & tortoribus. Ipsas autem res, quæ sceleribus nostris causam aut materiam præbuere, tanquam instrumenta spectabimus, quibus veluti in manus sumptis humana malitia (proinde ac illi corporei & aspectabiles tortores, flagellis, spinis, clavis, lanceâ, aliisque hujusmodi) ad vulnera & necem Christo inferendam abusa sit.

Atque hunc in morem doctos & exercitatos oculos optabat olim S. Bonaventura, dum in quadam ad Christum præcatione, quam alio loco referemus integram, id ab eo con-

contendit inter cetera: *Vt quocumque me vertam* (inquit) *semper te videam crucifixum; quidquid aspexero, in tuo sanguine mihi appareat rubricatum.* Quæ quidem postrema de solis accepta hominibus, facile in hunc sensum trahuntur, quasi solum velit (quod alibi quoque nobis præcipit) proximum semper à se aspici, ut *Christi morte redemptum*, atque eo pacto *ut sanguine Christi persusum.* At eadem ipsa ad ceteras quoque naturas omnes, prout vocum postulat amplitudo, translata, eum quem diximus intellectum habere possunt; ut nempe cupiat res omnes creatas, tanquam instrumenta divinæ necis sibi versari ob oculos, proindeque morali ratione veluti divino cruore intinctas & erubescentes apparere; quemadmodum crux, clavi, spina, flagella, & alia Christi passionis instrumenta physica, ipso Christi sanguine intincta & infecta fuere. Quanquam & alius sensus occurrit, neque à proposito multum abscedens, & S. Doctoris verbis mentique, ut existimo, magis consentiens: ut quemadmodum ij, qui colore aliquo adventitio, puta croceo aut purpureo, oculos imbutos habent, aut simili colore intinctis conspiciuntur, omnia tanquam eodem colore aspersa & affecta conspiciunt; aut sicut ille apud Poetam amator, qui propterea quòd animum amore inflammatum haberet, pecus omne, & quidquid observaretur oculis, flammam esse arbitratur: cui simile quiddam, sed diviniore ex causa, usvenisse proditur B. Catharina Genuensis: ita percipiat sanctus hic Doctor, mentem adeò Christi sanguine imbutam, & (ut ipse loquitur) inebriatam, & tanquam coloratam habere; ut quidquid aspexerit, eodem colore respersum, Christi inquam sanguine rubefactum, appareat; & quocumque se vertat denique, nihil nisi notas divinæ passionis, & ipsum Christum crucifixum aspiciat.

Veruntamen sensus cogitationesve ejusmodi, quæ in re assecuta subtilitatis aliquid habent, non cuius ingenio

Ibid. c. 7.

Vir. c. 30.
Et.

ROY

LIVRE

VI

VI

VI

VI

VI

VI

VI

VI

VI

conveniunt. Neque verò ad eas violenter trahendus, aut in ijs invitè detinendus est animus, sed suavi quadam inductione, ubi usus fuerit, adducendus: quasi subnascente, aut ultro subeunte animum, non intruso, aut extrinsecus accersito, affectu.

§. 4.

Plures ejus artis seu exercitationis utilitates.

CÆterùm qui animum suum ad artes ejusmodi suaviter, ac sensim condocerit; non exiguum ex ijs fructum, sed egregias sanè utilitates in vita spirituali, accipiet.

Prima: ut non facilè illaqueetur aut capiatur rerum corporearum blandâ specie; ut qui non in solo exteriori earum cortice hæzere consueverit, sed potiùs in eas introspicere, & ad ea quæ in recessu latent, profundius penetrare. Quò fit, ut ad rerum istarum sensibilium quotidianum occursum, in quibus rebus alij præter res ipsas nihil videant, in ijsdem ille rationes quasdam intimè latentes aspiciat: & modò ex ijs divinam bonitatem laudet, sapientiam, potentiam; modò hominum deplorat cæcitatem, qui his ipsis præclaris amantissimi Conditoris muneribus, ad ejus offensionem abutantur: modò denique (quod quidem nunc agimus) ex ijs ad Christi commemorandam mortem assurgat; non aliter ac si, res easdem, passionis Dominicæ notis non obscuris inscriptas, intueretur.

Nam, ut qui memoriæ (quam vocant) artem obtinent, cum certam rem sub oculis positam, alicujus seu rei seu vocis imagine, solâ cogitatione inscripserint; ipso loci sic inscripti aspectu, confestim veniunt in rei vocisve ita imaginatæ memoriæ: aut veluti qui novit literas, ijs solum inspectis, res etiam eas quæ significantur cognoscit; tamen illarum vis & significatio, neque visu, neque sensu æquo, sed solâ mente & cogitatione tenetur; ita in re nostra
simi-

simile quiddam usuvenire potest, si quis (ut dicebamus) ei
arti paulum assveverit, ejusque rei sibi naturam quodam-
modo fecerit.

Secunda: ut eas res quæ in usus nostros quotidianos
veniunt, puta cibum, potum, & ejusmodi, tanquam instru-
menta necis Domini, ipsiusque velut sanguine tincta con-
siderans, non ijs abutatur ad voluptatem & lasciviam, sed
ad necessitatem duntaxat, nec sine pudore & verecundia u-
tatur. Nam, ut hoc exemplo rem magis ob oculos statuam,
quo quaeso, non jam dicam pudore, sed horrore affici oportet
eum filium, qui inter vescendum uti compellatur eo
cultello, & cruentis adhuc infecto notis, quo ille parentem
amantissimum, per intemperias cæcæque furorem inter-
fecerit? Par igitur esset, nec sine operæ pretio, huic si-
milem mentem ad ea quæ nostris sensibus lenocinantur ad-
ferre, & voluptatis illecebram eâ objectâ cogitatione
retundere.

Miram historiam huic rei firmandæ refert Bzovius in
annalibus: Christum Dominum aliquando formosi juve-
nis specie, cuidam puellæ perditæ (quò illam ad frugem me-
liorem vitamque sanctiorem adduceret) videndum sese at-
que excipiendum præbuisse: eoque jam ad mensam adhibito,
cibos omnes quos manu contingeret, cruore infectos
subitò apparuisse; tumque attonitæ rei miraculo fæminæ
denuntiasse Christum; id ita factum quò intelligeret, non
oportere Christianum quicquam aut esse aut bibere, nisi
Christi sanguine intinctum: ad extremum cum sese Salva-
tor in miserabilem crucifixi formam vertisset, eo demum
ostento victam puellam, & ipsam ad Deum & meliora con-
versam esse.

Tertia: ut siquâ subinde tentatione pulsatus, ad ea-
rum rerum abusum incitari se senserit, reprimatur illâ fami-
liari animi reflexione; has veluti voces, imò clamorem,
Y 2 ipfa

ROY
LIVRE
DE
VI

ipsarum rerum exaudiens: Tunc rursus nobis ad Dei filium convexandum, cadendum, crucifigendum abutere? Tunc invitas ac reluctantes nos detorqueas, ad communis patris & procreatoris offensam? Cave facias: alioqui tibi inimicas habiturus nos, scelerum tuorum, uti conscias, ita & testes, imò & vindices, aliquando futuras. Quibus ille arcanis vocibus admonitus atque increpitus, resistet fortassis in ipso limine, & à Dei offensa, & rerum abusu, atque injuria abstinabit. Et similes sanè naturæ rerum peccatori obstrepentis voces intelligebat atque exaudiebat S. Bonaventura cum diceret: *Clamant suo modo creatura & dicunt: Iste est qui nobis abusus est, qui nobis injuriam fecit, qui nos ad honorem Dei factas, in injuriam Dei, convertit. Et postea: Venite & disperdamus eum, &c.*

P. i. *Sim.*
CAP. 7.

l. 9. *Conf.*
CAP. 10.

O quàm multa loquitur natura rerum, tamen si bruta & inanimis, si cui fileat (ut Augustinus ait) tumultus carnis, & ipsius voci interiorem auditum admoveat, ac, Salvatoris phrasi, aures audiendi habeat! Quàm multa docet nos, si quis in intimum ejus auditorium pedem inferat, & non ipsa duntaxat fronte rerum, aut tanquam Scholæ vestibulo resistat!

Verum nos plerumque, comparati jumentis insipientibus, in res istas impetu, & non ratione, ferimur; carumque specie aut superficie decepti, magis quid esse videantur, quàm quid revera sint, aut ad quid factæ, quid nos moneant, quid à nobis postulent, consideramus. Ut jam, quod de Sole dixit nonnemo, id de reliquis quoque universi naturis, ipsoque adeò universo, verum sit: Spectatores habere multos, audito-

res paucos.

CAPUT X.

Egritudinibus nostris ac doloribus, velut secreto atque intimo passionis Christi admonitore, uti.

§. I.

Morbos atque dolores nostros, efficaces esse Christi dolorum admonitores.

VENIO nunc ad magis efficacem passionis Christi admonitorem, neque jam ascitum aut quæsitum extrinsecus, sed nobismetipsis inditum atque intimum, morbos videlicet, ægritudines, dolores: quibus si solerter & sapienter uti noverimus, pro quotidiano & familiari monitore esse possunt, quo facile reducamur in memoriam cruciatuum Christi, eorumque præfertim, quos iisdem in membris ille passus sit: quod etiam fiat, ut & malis nostris non leve exinde captemus solatium, & multiplicem ex ijs fructum utilitatemque capiamus.

Videamus hoc quale sit; & omnem istius exercitij rationem nonnullis exemplis confirmemus, Passionis Christi memoriam à nobis assiduè colendam, mentibusque nostris altè imprimendam atque insigendam esse; Dominicæ coronæ symbolo, cujus aculei sacrum ejus verticem undique cinxerunt cerebrumque profundè penetrarunt, non incongruè representari videtur. Quamobrem S. Edmundi mater, cum ei per quietem filius suus oblatus esset, coronam spineam habens in capite, quæ vehementer accensa flammæ ad sidera vibrare videretur; rectè intellexit, ardentem illius in passionis Christi mysterijs assiduè recogitandis animi sensum atque affectum, eo ostento portendi.

Neque defuere qui eam ob causam, ad testandam inquam

ROY
LIP...
VI

*B. Magd. de
Paz. c. 4.
Vita auct.
Pudent.
Zagn. c. 17.
Vit. Fern.
Suarez: de
la Concha
S. I. C.*

quam fovendamque intimis sensibus dolorum Christi memoriam, sertum etiam corporeum, ex spinis contextum, aculeatis, vertici suo imprimerent, assidueque aut stans temporibus, acrem scilicet atque efficacem Christi cruciatuum admonitorem, gestarent.

Ad idem igitur valere potest, si quem acutus capitis dolor, si artuum dira lancinatio, si morbi cujusvis molestia, gravis incesserit.

Hinc enim etiam est, quod quibusdam dilectis Christi Sponsis, specialis favoris nomine, divinitus concessum accepimus; ut, exempli causâ capitis dolores experirentur acerbissimos, quò Sponsi sui cruciatuum, eorumque nominatim quos in capite perpeffus esset, non memores modò, sed etiam confortes redderentur.

A. I. r. 16.

De Venerabili Maria Raggia refert ipfius vitæ scriptor: cum aliquando ingentibus capitis doloribus punctiõibusque acutissimis vexaretur; divinâ voce, nocte quadam admonitam, hos esse dolores ac punctiões, quos expertus esset ipfius Sponsus, cum divino illius capiti corona spinea imprimeretur, ipsamque ad eò non dissimili sertò sub id temporis fuisse insignitam. Quod tunc minimè obscurum fuit, cum postea à familiaribus in ambitu capitis ejus deprehensus est cruentus circulus manifestis notis punctisq; sanguineis descriptus. Aliasque nonnullas ex eodem Ordine S. Dominici recenset idem autor, simili favore atque honore à Sponso dignatas. Quibus ex Ordine Cisterciensi adjungo Elisabetham Spalbecanam, in cujus capite die quodam Parasceves ejusmodi spinarum veluti punctiões deprehensæ sunt; itemque Idam Lovaniensem; de quibus noster Bartholomæus Fisen, in Floribus Ecclesiæ Leodiensis & è tertio Ordine S. Francisci Pudentianam Zagnoniam, Bononiensem Virginem: uti traditur in ejus vita.

Vit. c. 17.

In ejus Vita.

Mirabile item quod B. Ritæ de Cassia ex Ordine S. Augusti-

gustini accidisse proditur. Huic enim aliquando ante Crucifixi signum precanti, atque à Sponso suo enixè & cum lacrymis petenti, eam ut dignaretur pœnarum suarum facere participem, spina quædam de Crucifixi corona, media in fronte derepente infixæ est; tantà equidem vi tamque profundè, ut relictum exinde vulnus, tanquam indelebilis passionis Christi character, ei per omnem vitam inhæserit: quod hodièque monstratur in defunctæ corpore. Atque hoc ex vulnere cùm vermium vis assiduè scaturiret, indèque enatum fœtorem sodales tolerare non possent, coacta est denique quodam in conclavi seorsum à cæteris inclusa, velut in deserto, reliquam ætatem exigere: cuius solitudinis tædia perpetuà cruciatuum dilecti sui (quorum utique per familiaritatem atque intimo monumento fruebatur) commentatione oblectabat, eorùmque proinde imaginibus cubiculi sui parietes ornarat atque instruxerat. Porro alia quædam his affinia subjungam paragrapho sequenti.

§. 2.

Familiaris usus considerationis propositæ.

Quòd si nondum fortasse tantum animi aut roboris nactus sis, neque eousque in dilecti tui amore profeceris, ut ex confortij passionum ejus desiderio, monitores seu dolores ejusmodi vel ultro accersas, vel à Deo tibi immitti postules: ijs saltem quos naturæ necessitas, aut quæcunque fors tibi obtulerit, ad passionis Christi in te excitandam renovandamque memoriam solerter uti consuesce, eaque propter tibi fortassis divino beneficio immissos esse, interpretare.

Quapropter si te, uti antea dicere cœpimus, exercebit lancinabitque sævus capitis dolor; recordaberis cruciatuum divini verticis; & dices tecum: Deus bone! quantà, præ istis quæ patior, fuisse oportuit cruciamenta Domini
Jesu,

Jesu, cum ei sacrum caput crudelibus illis spinarum aculeis introrsum adactis perfossum undique & profundè terebratum est!

Si febris æstuas, aut alio quovis acuto dolore vexaris; veniat in mentem agonie Christi, ejusque sudoris sanguinei; memento cruentæ flagellationis, & diræ illius diffusionis quæ delicata membra ejus in crucis equuleo diffracta sunt: atque ejusmodi cogitatione acrem dolorum tuorum sensum acerbitatè que consolare.

Jam si, verbi gratiâ, manus tibi aut pedes arthriticus dolor occupet; recordare vulnerum Salvatoris, atque clavorum quibus illi manus pedesque confossi sunt, cum incredibili doloris sensu & acri nervorum convulsione. Cum, & alioqui supra memoratæ Mariæ Raggiæ, aliisque nonnullis, pro beneficio datum fuerit divinitus, ut his ipsis in locis dolores sentirent acerbissimos, ad efficacem seu memoriam seu experientiam cruciatuum Salvatoris.

Similiter autem si latus doleat, aut aliqua punctio te lancinet; memento aperti Christi lateris, ejusque doloris, quem Crucifixi viva effigies S. Franciscus, itè que S. Francisca Romana aliæ que Christo dilectæ Sponsæ ex simili plaga sibi divinitus communicata persensere. Quò item spectat, quod refert Thomas Cantipratanus, de Virgine sibi probè cognita; cui in latere ingens vulnus enatum sit, ex perpetua ac vehementi passionis Christi meditatione. Et ita discurrendo per singula, non difficile erit bonæ mentis, in quibusvis suis ægritudinibus, & Christi passionum mementum, & dolorum illius confortium, & pietatis sensum, & acerbitatis lenimentum aliquod invenire.

Sed quod ad lateris dolorem spectat, juvat huic capiti concludendo attexere prodigium illud, quod in Philippa Geldtra religiosissima Vidua deprehensum legimus in Vita ejus extrema: quæ Antonio Lotharingæ Duci primum
nupta,

l. 1. c. 25,

nupta, postmodum S. Claræ Ordini adscripta, in eo sanctè
vixit atque obiit.

Ea septennio priusquam decederet, qualibet sextâ fe-
riâ recurrente, acerbissimis viscerum punctiõibus lancina-
batur; occultâ tum quidem causâ. Et Deum illa diu mul-
tùmque rogaverat, sibi dari quidpiam, quo monente, me-
moriâ memor esset, & tabesceret animo super morte Vnige-
niti. Ab ejus obitu dissecto corpore, repertus in ejus late-
re dextro lapis candidus atque elegans, semipalmari lon-
gitudine, in quatuor divisus areolas seu cellulas, quales in
apum favis intuemur, in quibus totidem minores lapilli
conspiciebantur: at in lapidis confracti medio, lapis alius
apparuit nigro colore, tanquam gemma in annulo inclusa.
Porro, quod præsertim huc pertinet, ex eodem lapide binæ
prominebant præacutæ cuspides, quarum aculeis à feriâ 5.
vespera usque ad Sabbatum, statâ constantique lege com-
motis, sævi illi existebant intestinorum cruciatus: stupen-
tibus ad rem non solùm invisam, sed etiam inauditam me-
dicis, & in ea quiddam naturâ majus agnoscentibus.

Atque in exemplis præsentis capite propositis, obiter
vides, optime Lector; quàm dissimiles sint consuetis votis
mortalium, divinæ blanditiæ: & quas velut strenas amo-
risve pignora de Christo Sponso expetere soleant dilectæ
Sponsæ, aut ille etiam subinde non petentibus, singularis
gratiæ ac muneris vice, largiri: de quo plura alibi, cum pa-
tientiz documenta trademus.

CAPVT XI.

*Memoriam ac cultum passionis Christi, certis of-
ficijs aut precibus celebrandum esse.*

§. I.

Officium de Cruce aut Passione Domini, statim temporibus religiosè recitare.

Hujus Officij plures invenio formulas. Nam in primis in vulgaribus libellis precationum Pij V. permixta editatum circumfertur Officium de Cruce, subjunctum Officio parvo B. Virginis: cujus quidem autorem S. Bonaventuram facere videtur Octavianus de Magistris, in oratione de ejus rebus gestis coram Sixto IV. habitâ: dum ita loquitur: *Contemplatione S. Ludovici Regis Francia, Officium de Cruce devotissimum edidit; quod ab Ecclesia nullo immutato receptum, in ea solemnitate ubique legitur.* Videnturque sanè hymnorum rhythmus Seraphici Doctoris pietatem ac spiritum redolere: quanquam inter ipsius opuscula, non hoc, sed aliud (ut dicam) Dominicæ Passionis Officium, ab eo compositum referatur; nec satis conijciam, quam Crucis solemnitatem innuere velit Octavianus, in qua id officij ubique in Ecclesia recitetur.

*P. 3. Opusc.
edit. à 1722.
diz.*

Deinde inter opuscula Seraphici Patris S. Francisci, extat Officium Dominicæ Passionis ab eo compositum, constans solis ferè Psalmis Davidicis, sed pro temporis festorumve Christi diversitate, nonnihil variandis. Quod fortè illud est Officium Crucis, quod à S. Francisco didicisse, ac frequentasse B. Claram, in hujus vita fertur his verbis: *Ut autem Crucifixi delicijs absque intermissione pasceret mentem, orationem de quinque plagis Domini frequentius ruminabat; Officium Crucis, prout crucis amator Franciscus instituerat, didicit, & affectu consimili frequentavit.*

Cap. 20.

Nec scio satis, istudne Crucis Officium, an potiùs vulgatum illud, quod in gratiam S. Ludovici Regis S. Bonaventura composuerit, familiare haberet alter S. Ludovicus prioris nepos, ex S. Francisci Ordine: quem utique ab

adoleſcentia legimus, Officium Dōminicæ Paſſionis expanſus brachijs recitare conſueſſe.

Rurſum, ut dicebamus, parte 2. opuſculorum Seraphici Doctōris, aliud extat Officium de Paſſione Dōminicæ, conſtans hymnis, pſalmis, lectionibus, &c. ab eo tum S. Franciſci, tum quod ab Eccleſia proponitur, longè diverſū.

Atque iſti affine quoddam Officium in Theſauro ſacro P. Thomæ Salliſij à Societate noſtra, parte 2. quod cum illo S. Bonaventuræ conferenti, apparebit ad illius imitationem eſſe compoſitum, imò partim ex illo deſumptum; cūm ferè ijsdem conſtet hymnis & orationibus; alijs tamen pſalmis ac lectionibus, prout opportunum viſum eſt, ſubſtitutis; nonnullis etiam minutioribus partim adjectis, partim detractis.

Poſtremò dicitur etiam Alexander Cardinalis Vrſinus preces quasdam Horarias de Paſſione Dōmini compoſuiſſe, ac quotidie recitaſſe. Quæ quales fuerint, adhuc deprehendere non potui. Extant porrò, & legentur utiliter, Horæ Paſſionis Dōminicæ à R. P. Leonardo Leſſio auctæ & recitari ſolitæ.

§. 2.

In honorem Dōminicæ Paſſionis, coronam (quam vocant) Dōmini noſtri percurrere.

PLures ſunt iſtius modi coronæ, à pijs Crucifixi amatoribus, ad renovandam honorandamque patientis JESU memoriam, excogitatæ: quarum aliquas hoc loco ponam, gratiâ exempli:

Prima eſt corona Dōmini Jeſu, ad exemplar coronæ Virgineæ, orationibus Dōminicis triginta tribus, & quinque Angelicis ſalutationibus conſtans. Quam in memoriam triginta trium ſpinarum, quæ Redemptoris noſtri caput præcipuè lancinaverint, ante annos centum circiter &

Z 2

quin-

quinquaginta excogitasse traditur B. Michael Florentinus ex Ordine Camaldulensi. Possuntque ad singulos istius coronæ calculos, sive varia vitæ ac passionis Christi mystéria, sive propriè totidem dolores aut cruciatus Salvatoris adaptari: uti videre est in tractatu hac ipsa de re Italicè edito à D. Francisco Pifferi ejusdem Ordinis monacho; qui etiam ibidem ostendit, Indulgentias varias à diversis Pontificibus, eandem coronam recitantibus esse concessas.

Et similis coronæ triginta trium orationum Dominicarum, cum triginta tribus Angelicis salutationibus, in honorem totidem annorum quibus inter nos Christus vixerit, à quodam religioso Patre Ordinis Minorum instituta, itémque à Leone X. cum alijs quibusdam ejusdem modi commendata, atque Indulgentijs donata, meminit Eminentissimus Rodriquez in suo Regularium Bullario.

Bull. Leonis 36.

Secunda sit ea, quæ dicitur corona sacrorum V. vulnerum Christi Jesu, ex quinque compacta calculorum seu globulorum ordinibus, in quorum singulis quinque oratio Dominica, & semel Angelica salutatio recitatur; atque in Dominicis orationibus, considerantur acerbissimi cruciatus JESU Christi; in Angelica MARIE dolores perpenduntur: ac denique post seriem quamlibet *Gloria Patri*, & brevis illa ex Mariano Planctu precatiuncula adjungitur: *Sancta Mater istud agas, Crucifixi sige plagas, Cordi meo valide.* Porrò primam dictarum precationum seriem, convenit plagæ sinistri pedis addicere; secundam; plagæ dextri pedis, & ita de reliquis; atque inter precandum, è plagis singulis donum aliquod cœlestè haurire; puta ad plagam pedis sinistri, peccatorum remissionem petendo; ad plagam dextri, robur adversus tentationes; ad manum sinistram, liberationem ab inferorum supplicijs; ad dextram, adeptionem gloriæ cœlestis; ad plagam lateris, purum ac sincerum amorem. aut certè in singulis variarum virtutum.

virtutum diversos actus exercendo; ex ea formula quam suggerit Maximilianus Sandæus noster in libello, cui titulus: *Societas JESU amatrix Crucifixi*; exemplo 159.

Atque isti ferè similis est, alia quædam ejusdem coronæ recitandæ formula, illud specialiter adiiciens: quòd quinque calculos majusculos, in quinque Christi membrorum convulneratorum (pedum scilicet, manuum, & cordis) similitudinem efformatos, habeat; aut eorum loco quinque constet sacris numismatis eorundem membrorum effigie insignitis: adjectò insuper sub cruce (quæ totius coronæ apex est) alio calculo in Dominicæ lanceæ similitudinem; & tribus calculis minoribus inter lanceam, & divini cordis (à quo ipse oritur coronæ ambitus) effigies interjectis. Cujus coronæ usum speciatim explicat pius libellus hac ipsà de re anno 1612. Romæ editus: in quo variæ ponuntur considerationes affectûsque ad id perutiles, & ad singulos calculorum ordines ritè percurrendos accommodati. Quo item argumento alius extat libellus, pijs itidem atque eruditis instructus considerationibus, à R. P. Guilielmo de Wael Societatis nostræ recentius editus.

Verùm hujus coronæ religionem, pro ardenti suo in Christum passum affectu, mirificè promovit ac propagavit, sanctæ memoriæ P. Vincentius Caraffa, Societatis Jesu Generalis; prout apparet ex ejus vita. In qua etiam traditur, Paulum V. Pont. Max: ejusmodi coronam sibi oblatam valde probasse, & de cingulo appensam religiosè prætulisse.

Denique ad calcem vitæ P. Laurentij Bartilij ex eadem Societate proponitur & iste modus coronam de quinque Christi Domini vulneribus recitandi, ab eodem Patre exco-gitatus & usurpatus.

Ante omnia præmittitur brevis ista precatio: *Salvator mundi salva nos, qui per crucem, &c.* sequitur deinde salutatatio plagæ pedis sinistri, aptis quibusdam rhythmis concepta:

cepta: in cuius deinde plagæ honorem quinquies Pater & Ave recitatur; adijciturque tandem hæc oratio: *Per plagam sinistri tui pedis crudelissimam, da mihi, Domine IESU, tuam imitari humilitatem.* Similique modo proceditur ad plagas reliquas; nisi quòd ad plagam pedis dextri patientia petitur; ad plagam manûs sinistra, obedientia; dextera, perfectissima charitas; lateris, castitas & in bono perseverantia.

Verùm ad exemplum, uti dicebat, & specimen ista sufficiant. Alioqui enim possunt in dies, ejusmodi piarum artium plures adinveniri, & cum grata Christi pro nobis passi recordatione, nec sine fructu & solatio usurpari.

CAPUT XII.

Invenit etiam, eandem passionis Christi memoriam quotidianâ commentatione, aut pio sermone, confovere.

§. I.

Quotidie partem aliquam temporis recogitantæ Dominicæ passioni assignare.

IN primis igitur studebit amator Crucifixi; quotidie partem aliquam temporis de alijs occupationibus demere, & tanquam seponere; quæ in piam aliquam de passione Christi meditationem infumatur.

Nam si, ut etiam primâ parte meminimus, nullum temporis momentum est, quo non aliquem passionis Dominicæ fructum capimus: grande aliquid videri non debet, si summo illi atque perenni Dei beneficio recogitando & quasi regustando, vel exiguam temporis particulam, de solido die decerpam, demus. Præsertim cum inde multa existat

existat animis nostris utilitas; solatium in tribulationibus, robur in adversis, stimulus ad virtutis studia, & ante omnia, potens præsidium ad vitanda peccata, & diem ipsum absque noxa graviore transigendum.

Ut proinde res sit dignissima, quæ non ab ijs tantum qui ex susceptæ vitæ ratione peculiarem divini Numinis, atque honesti cultum profiteantur, sed ab ijs etiam qui communem in sæculo vitam degant, si fieri possit, in usum morumque traducatur.

Audiat hinc S. Bernardus ad Fratres de Monte Dei: *Scit etiam (inquit) quicumque sensum Christi habet, quantum Christiana pietati expediat, quantum Dei servum, & servum redemptionis Christi deceat, & ei utile sit; unâ saltem aliquâ diei horâ, passionis & redemptionis ipsius recolere beneficia.*

Testaturque sanè Joannes Nider ex Ordine S. Dominici, hanc ævo suo fuisse multorum in Alemannia, tum plebeiiorum utriusque sexûs, tum etiam nobilium atque magnatum consuetudinem; ut die qualibet horam aliquam sibi deligerent, *ad summum (ut ait) humano generi impensum beneficium, Christi passionem*, memorandam ac meditando: quò & ipsi sese hoc pacto, pro tanto munere, Deo gratos exhiberent, & mundi adversâ patientius ferrent, & virtutum opera promptius ac facilius exercerent.

Eodémque pertinet pia multorum in Vniversitate Duacensi, auctore quodam è nostris Patribus, sub annum Domini 1630. coalita confœderatio; hac in cæteris conditione: ut qui ejus pacti se participem esse velit, quotidie octavam saltem horæ partem in recolendo aliquo passionis Dominicæ capite impendat; eamque considerationem certâ precatiunculâ concludat, quâ Christum roget, ut omnium confœderatorum nomina in manibus suis descripta benignè legere, eosque in sacris suis vulneribus, præsertim autem in plaga lateris, juxta cor suum, velit æternùm habere collo-

*Formic. l. I.
cap. II.*

collocatos. Cujus precationis formulam (uti & reliquis pacti leges) adscriptam habes in libello, cui titulus: *Exercitium amoris Dei pro nobis crucifixi*: inque varijs Christi patientis imaginibus in confederatorum gratiam editis, eisdemque dicatis.

§. 2.

Ad horas singulas, alicujus mysterij passionis Christi, meminisse.

EXTat eam ob rem, circumferturque piorum manibus, formis aneis expressum (quod vocant) *Horologium Passionis*; ubi singulis diurnis nocturnisque horis assignatur, quid eâ horâ speciatim Christus passus sit: ut (sicut ea allu- bescat religio) in promptu habeat, quo meminerit, quoniam cruciatu istâ horâ confectatus sit Redemptor; eique adeo eo nomine gratias agere, & suas, seu actiones seu pas- siones, cum eo Christi dolore conjungere possit. Cujus o- peræ in speciem levis, tamen (uti aliâs admonebimus) non leve futurum est pretium: quod cum in morem particula- tim singulas cujusvis diei horas, passionis Christi memoriz atque honori consecrando, sensim consuecat Christianus vitam omnem purè sanctèque degere; fiatque tandem quod exoptabat Apostolus: *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*

2. Cor. 5.

Potissimum autem consultum erit, eam observatio- nem adhiberi in Officij sacerdotalis sive Horarum canoni- carum pensatione. Quod B. Ludovicum Bertrandum ex Ordine S. Dominici, ita factitasse legimus, ut singulas Ho- ras ejusdam mysterij passionis (atque ejus, opinor, cui re- colendo Hora qualibet addicta est) memoriâ celebraret, certâ præmissâ de ipso mysterio precatione.

l. 2. Vit.
cap. 4.

Cui affine quiddam usurpabat ex Ordine nostro viri- tatis, P. Petrus Faber, singulas Horas canonicas,

lib. 1. Vit.
cap. 2.

tum vitæ à Christo inter nos actæ; tum præsertim dolorum
ejus piâ recordatione consecrans: quæ res ita proditur ab
illius vitæ scriptore: *In inchoandis Horis canonicis* (inquit) ^{l. 2. c. 7.}
*in acerbissimos Christi cruciatus indignamque necem sua mentis
spæbat aspectum; & ut psallendo progrediebatur, ita in repu-
tandis acrioribus ejus pænis atque doloribus procedebat.* San-
cta item Clara de Monte Falco singulis Horis canonicis pas-
sionis Christi certa mysteria assignaverat; ut refert Nico-
laus Lancicius ex ejus Vita. Et videri possunt quæ huc per-
tinentia tradit etiam S. Mechtildis libro spiritualis gra-
tiæ, capite 28.

*De avidis.
in orat.
cap. 43.*

Quod porrò ad precatiunculam eâ gratiâ Horis præ-
mittendam attinet; quædam habentur eam in rem conce-
ptæ formulæ, breves equidem sed efficaces, siquis eas assue-
scat cum aliqua animi attentione promere. Quarum eam
solum quæ ad Horam sextam pertinet, exempli causâ hîc
appono: nam facile erit cui placuerit, ad eam formam re-
liquas conficere, variato duntaxat mysterio cuilibet Horæ
accommodato. Sic igitur habet: *Salve Hora sacra, in qua,
Domine IESU Christe, in monte Calvarie crudeliter denuda-
tus es: & Domine IESU Christe, has omnes afflictiones tibi of-
fero; pro illis gratias ago; pro illis miserere mei.*

§. 3.

De passione Domini libenter sermonem facere.

Adjungimus denique & hoc familiare pietatis exerci-
tium; nimirum de passione Domini, ubi res tulerit, li-
benter sermonem ingerere; aliòsque ad idem studium, ac
IESU crucifixi amorem adducere.

Erit hoc, tum nostri adversus Christum patientem a-
moris indicium; nam siquid amamus, de eo libenter lo-
quimur: tum præsidium memoriæ; frequens enim de re,
aliqua sermo, aliis eam defigit in animis: tum denique,

easdem ob causas, amplioris in nobis, erga eas res, religionis atque affectus incitamentum. Ingerit se quoque libens Salvator de passione sua loquentibus; atque, uti duobus discipulis Emmaunta pergentibus contigit, quasi ex occulto superveniens, in eorum mentibus cœleste lumen; in cordibus ardorem divinæ charitatis accendit. Denique postulat officij nostri ac pietatis ratio; ut qui Agni immaculati morte, à diaboli servitute, & morte æterna erepti sumus, ipsius sanguine ostij domus nostræ postes, hoc est, os nostrum & labia pingamus: *ut nihil aliud (quod in rem presentem ait B. Ambrosius) nisi sanguinem Christi loquamur, quo mortem vicimus, quo redempti sumus.*

*l. de pasce.
celebr.*

Quod quidem, ex ejusdem S. Patris monito, præcipui quadam ratione Christi Sponsis convenit: quarum labia, (ut in Canticis dicitur) debent esse instar vitæ coccineæ, hoc est, & charitatis rubore suffusa, & ipso Christi sanguine tincta. *In cocco enim, inquit Ambrosius, species ignis, & crucis Dominica sanguis irrutilat.* Unde etiam subdit: *coccinea labia Domini fuisse, quæ passionem propriam loquebantur.* Expressiùs autem S. Bernardus ad ista fortassis S. Ambrosij alludens, in libro de Christi passione: *Labia Sponsarum Christi (inquit) sicut vitæ coccinea: ut sermo earum, semper charitate ardeat, passione Agni & Sponsi rubeat. Qui semper debet esse in corde, semper sit in ore, candidus & rubicundus dulcis IESUS.*

Cant. 4.

*In ps. 118.
serm. 18.*

cap. 31.

Eodemque sensu alio quodam in loco præcipit idem Ambrosius; Virginis labia, ex labiorum Sponsi imitatione, stillare myrrham primam; in hæc verba Virginem Deo devotam instituens: *Audi Virgo, quid dicat: Lilium, inquit, convallium; id est humilium animarum & mitium. Esso ergo mitis, humilis, atque mansueta, ut in te sicut lilium germinet Christus; de quo & alibi habes: Labia ejus lilia stillantia, myrrham plenam, id est, qui Christi passionem loquuntur, &*

*De instit.
Virg. c. 15.*

jo

suo ore concelebrant, ac mortificationem eius in suo circumferant corpore. Addit: Christi lilia sunt specialiter sacrae Virgines, quarum est splendida & immaculata virginitas. Hæc Ambrosius.

Concludant hunc locum verba S. Bernardi loco laudato, ita ad IESUM suspirantis: O dulcissime & amantissime IESU, Agne immaculate, candide per innocentiam, rubicunde per sanguinem passionis: quàm iucundum cogitare, quàm salubre loqui de te! Tu enim de te loquentibus præfens, mentem dulciter accendis, informas verba, & omnium in te loquentium trahis affectus, curruntque in odorem unguentorum tuorum. Et post pauca: Vidésne igitur, quorsum tendant verba charitatis & passionis? Sic tibi.

CAPUT XIII.

Nonnulla alia, quibus pium animi nostri studium in Christum patientem contestemur.

§. I.

Alicui Christi crucifixi, aut Matris dolentis, sodalitas adscribi.

VARIE sunt tum Romæ, tum alibi gentium, societates aut phratræ IESU crucifixo aut passo specialiter dicatæ: quarum id institutum ac munus est, non modò Christi passionem peculiari cultu prosequi, flagellis etiam aut alijs voluntarijs afflictionibus eo respectu susceptis, verùm etiam in alios mortales, sive in vita sive in morte auxiliij & opis indigos, misericordiam ac pietatem variè extendere. Quo in genere, non successum modò qui sperabatur, sed nomen etiam ac celebritatem jam obtinet, Christi agonizantis ac mortui, ad morientium solatium, & vivorum utilitatem, in Collegio Societatis IESU Græcensi, haud pridem coalita Sodalitas

dalitas; cujus bonâ famâ excitus Ferdinandus III. Imperator, unâ cum filio item Ferdinando Bohemiæ Rege, augustum nomen suum ei obtulit; & Leopoldus Guilielmus Cæsaris frater, eidem inferibi, ejusque meritorum fieri particeps expetiit, literis vel ex ipso Belgio eâ gratiâ scriptis.

Præter has olim florere, & etiamnum florent sociis pluribus, Sodalitates aliæ sub Matris dolorum, seu (ut vulgò loquimur) B. Virginis Dolorosæ cultu ac patrocinio erectæ. Inter quas olim celeberrima fuit apud Belgas, septem Dolorum B. MARIE Fraternalitas; auctore Philippo Austriaco Belgarum Principe, eo qui postea Hispaniarum Regna Austriacæ genti felici connubio adjunxit. Is etenim Princeps, vix dum ephebus ac pæne puer, cum ditionem suam varijs tumultibus agitatam turbatamque videret, Dei Matris tutelam speciali cultu sibi demerendam existimavit, eamque quam dixi, MARIE Dolorosæ Sodalitatem, Mechliniæ primùm, ubi tunc degebat, ac postea Bruxellis, felicis consilio instituit; quæ brevi tempore per Vrbes alias propagata, & deinceps inde virorum Principum adscriptione, nobilitata, multis quoque de cælo donis ac prodigijs comprobata est. Vti videre licet in eo tractatu quem de ejus Fraternalitatis ortu atque progressu edidit Georgius Colvenarius Duacensis Doctor & Cancellarius. Itemque apud Augustinum Wichmans in sua Brabantia Mariana: ubi addit; eandem anno 1626. Illustrissimi Archiepiscopi studio, Mechliniæ instauratam; eo successu atque ardore pietatis, ut cernere sit innumeros, religiosas Matris dolentis Stationes, cælo etiam brumali, ac nocte perfrigidâ, vel detractis pedum integumentis obire, vel etiam nudatis genibus flexisque poplitibus obrepere.

Atque ut alias in præfens omittam, florentissima est hodie Pofonij in Hungaria, Virginis Filium de cruce detractum sinu complexæ Congregatio: cujus nimirum cohabitatio

l. 2. c. 64.

bitu Statua, ibidem in Ecclesia majore, ingenti mortalium undique affluentium concursu colitur, & multis in dies singulos divinis beneficijs ac miraculis inclarescit.

Neque omittenda videtur hoc loco, cujusdam è nostris Patribus (qui anno Domini 1653. Ossunæ in Hispania obiit) in Virginis Matris solitudine recolenda (sive, eâ ejus moestitiâ quâ triduum mortis filij sui, velut desolata & omni desolata solatio traduxit) pia ac solers industria. Qui nempe in templo Societatis nostræ, Beatæ Virgini aram cum Statua eo titulo erexit, eamque religionem festivâ celebritate, Indulgentijs, aliisque artibus exornare, augere, ac propagare instituit.

Ad aliquod igitur ejusmodi, seu passionis Filij, seu Matris compatiens Sodalitium, pro sua adversus Christi passionem reverentia (addo, & pro loci aliorumque adjunctorum opportunitate) adjungi poterit cliens atque amator Crucifixi. Nam & Matris dolores omnino specialem ad Nati tormenta respectum habent; & ipsi Christo jucundissimum est, acerbos Matris suæ luctus crebrò recogitari, & piâ quadam condolentiâ celebrari: uti postea demonstrabitur.

§. 2.

Crucis effigiem, & nominis IESU figuram, ubi occurrerit, aliquâ pietatis significatione venerari.

Crucem in trivjs aliisque locis publicè prostantem signo aliquo venerationis prosequi, Christiani officij nonnulla pars est; & apud plerosque recepti moris esse videtur. Addimus modò, non tantùm crucis aut Crucifixi effigiem, ubi occurrerit, piè salutandam ac venerandam, sed etiam nominis IESU figuram, uti passim vel auro aut coloribus expressa, vel marmori aut saxi insculpta ad venerationem proponitur, simili officio prosequendam.

Hæc

Hæc enim etiam (si attendimus) monumentum quoddam est passionis Christi: sive quod in ea in modum crucis effectus apex, aut etiam infernè adjecti clavi, ejusdem passionis memoriam intuentium sensibus ingerunt: sive, quod vel ipsa salutaris nominis significatio (etsi occultiori ratione) Salvatoris cruciatuum nos admonet; quippe qui non nisi per passionem & mortem, tanti nominis vim ac dignitatem, aut promeruerit aut præstiterit; eoque nomine sibi imposito, ipsam quoque pro nobis moriendi legem atque obligationem unà sibi imponi senserit.

Atque ad eandem vim atque energiam in JESU inclusam nomine exactiùs explicandam, congruà ratione dicemus, hæc quæ memoravi passionis Christi symbola; jam, passim adjici solere.

Sanè sacrosancto Jesu nomini, apicis loco, crucem superimponendi, vetustior paulò & ab aliquot sæculis recepta consuetudo est: ex eo fortassis primùm exorta; quòd ad id temporis nomen illud Gothicis literis exarari soleret, ita ut medium elementum esset aspirationis litera, superiori ejus literæ parte, ex Gothica pingendi ratione, ab alijs literis paulùm extante, & in altum surrecta; cujus rei plurimò hodièque supersunt exempla. Ferturque hac ipsà literarum formà descriptum fuisse id JESU nomen, quod autò pictum & aureis radijs incinctum (re id temporis novà & insolitâ, sed in usum deinceps passim receptâ) adorandum populis proponebatur. S. Bernardinus Senensis: uti nos quoque in vetustis quibusdâ ejus Sancti iconibus observavimus.

Cùm autem nomini ita descripto, virgula aliqua supernè, veluti compendij nota, de more adjiceretur; fiebat, ut eâ virgulâ in extantem illam medij elementi portionem incidente, eamque ex transverso secante, crux non obscure representaretur. Quem usum postea, etiam cùm conventis, seu Romanis, literis nomen JESU pingendi mos in-

*Præloq. ad
Martyr.
Francisc.*

luit, retineri placuerit; cruce, etiam distinctius expressâ, & ex medio elemento (sive id Latina aspiratio est, ex vulgi sensu; sive, ex doctiorum sententiâ, ea vocalis, quæ in Jesu nomine Græcè scripto secundum locum obtinet) evidentiùs prominente.

Aldus Manutius: sensor apud Nigr.

Cui suspitioni favere videtur Julius Nigronus noster, dum nomini JESU docet præponi crucem, pro apice seu nota compendij: quam tamen observat non semper fuisse in nomine S. Bernardini.

In reg. com. p. 3. lit. n. 55.

Quod porrò ad clavos postea adjectos attinet; tradit idem autor, S. Ignatium P. N. eidem nomini (quod nempe suæ familiæ tanquam insigne esse voluit) subjecisse tres clavos Dominicæ passionis. Sive id fecerit ad expressiorem Christi cruciatuum repræsentationem; sive ut id esset religiosæ vitæ ac mortificationis symbolum; atque, ut intelligeremus, inquit Nigronus, militantibus nobis *sub illo vexillo, ferendam esse crucem mortificationis, & perpetiendos clavos laborum & dolorum pro Christo, usque ad vulnera, sanguinis effusionem, & mortem.* Cùm & alioqui per eosdem clavos aptè significentur tria illa vota, quæ Religiosi statûs quasi substantiam constituunt; ut ampliùs infra, aliâ occasione declarabitur.

Igitur plurium Sanctorum exemplo (& nominatim Juliani Anachorætæ, qui, id attestante Beato Ephrem in ejus vita, nomen hoc ubicunque reperiebat, lacrymis aspergebat & quasi obliterabat) usitatam illam nominis JESU figuram pio animi sensu cultûque congruo prosequamur; neque eam utcumque, velut Salvatoris & salutis insigne, aspicimus, verùm etiam ut mortis Christi monumentum & velut quandam cruciatuum ejus imaginem deveneremur atque exosculemur.

§. 3.

*Pro amore Christi crucifixi, aut passionis eius reverentia,
quicumque petenti, non facile denegare.*

St. c. 1. Sanctum Franciscum refert S. Bonaventura, cum quadam die pauperem pro Dei amore stipem petentem, præter consuetudinem repulisset, repente eo facto commotum, non modò eidem revocato misericordiam largè impertivisse, sed etiam Deo ex eo die promississe, nemini se unquam ejus nomine petenti, elemosynam negaturum. Verùm id virtutis non cujusvis est; nec scio an satis congruat communi hominum imbecillitati, in ea præsertim frequentia inopum, interposito Dei nomine flagitantium.

Mitius & tolerabilius est, quòd hìc ascetæ nostro proponimus: nimirum ut eorum saltem, qui appellatà passione Domini, aut Christi crucifixi nomine, quidpiam exposcunt, specialem rationem habeat, eoque nomine propensius eorum misereatur, nec facilè quicumque (quod ei quidem concedere promptum sit) denegare consuescat.

Id quippe studium, & ad non vulgarem adversus passionem Christi reverentiam contestandam, & ad nostrum etiam in Crucifixum amorem alendum atque exaugendum, & ad ipsum denique benignissimum Redemptorem eo obsequio singulariter demerendum, non medio critèr valiturum esse. Qui utique sibi specialius impensum reputabit, quidquid eà quam dixi contemplatione, in membra sua opis egena, benignitatis collatum fuerit.

Neque verò id quod nunc agimus, de stipis tantum, reive ejusmodi impensa, velim intelligi; verùm de quacunque sive corporali sive spiritali misericordia impertienda, cum eam contingeret, Christi patientis interposito nomine, efflagitari. Nominatim autem (quod, uti cæteris difficilius, ita acceptissimum divino cordi misericordiz genuis

nus est) de atroci quoque offensione remittenda, parcendoque hosti, quem etiam in potestate habeas; ejus nimirum intuitu, qui cum adhuc inimici essemus non utcunque ignovit, sed ut iratum nobis placaret Patrem, vitam ipse suam omnemque sanguinem profudit.

Est enim hoc Christo, Paci nostræ, jucundissimum sanè Sacrificium: si in ipso ardore ultionis, ad allegatam, aut sponte suâ animo recurrentem, passionis Domini memoriam, conceptum jam furorem comprimam, & unâ cum armis, vindictæ ponas cupiditatem, ipsamque dulcem animo furenti, ulciscendi libidinem, velut victimam Crucifixo immoles. Qui proinde fertur, quàm sibi id foret complacitum, non uno documento declarasse.

Notum est quod S. Joanni Gualberto contigit: qui, cum inimico pepercisset, in crucis modum conformatis manibus, per Crucifixo amorem veniam poscenti, moxque templum ingressus, ante Crucifixo imaginem, provolutus genibus precaretur, vidit Christi in cruce pendentis caput, ad se inclinari, quasi ipsi gratias ageret, quod pro passionis suæ reverentiâ, eo in articulo hosti capitali pepercisset. Quod ipsum aliàs, nec semel, alijs contigisse; tum apud S. Petrum Damiani, tum apud Thomam Cantipratanum reperies.

*Vit. c. 12
& 20
Spec. Ex-
empl. d. 1.
Cantipr.
l. 2. c. 180*

Quò mihi subeat non ex vano fortassis conjectare: eum qui ejusmodi aliquo præclaro facinore singularem addidit à Jesu crucifixo gratiam inierit, in æternum periturum non esse: ut hoc etiam sensu valere possit in rem præsentem, quod in causâ simili Davidi spondebat prudentissima Abigail: *Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium*, (hoc est, in fasciculo, sive numero prædestinatorum, inquit Vgo Cardinalis) *apud Dominum Deum tuum*; aut quod sibi apprecabatur David, cum manum a Saule inimico suo abstinuisset: *Sicut magnificata est anima (seu vita)*

1. Reg. 29.

Ibid. c. 26.

B b

111

tua hodie in oculis meis: sic magnificetur anima mea (hoc est, magna & pretiosa habeatur) in oculis Domini, & liberet me de omni angustia: præsertim autem de angustia sempiterna.

*De Reg.
Lusit.*

Hoc denique loco commemorabile est Joannis II. Lusitaniae Regis exemplum: qui (ut testatur Vasconcellus noster) secreto se voto obstrinxerat; nihil se peteretur. Inquam quod interpositis Christi vulneribus peteretur. Itaque tum in alios aliàs, eà causâ beneficis extitit; tum mulieri, die Parasceves, marito capitis damnato, per Christi mortem ac vulnera vitam oranti, veniam liberaliter indulgit.

CAPUT XIV.

Diem sextam cujusque hebdomadæ, uti Christi passioni dicatam, cultu proprio celebrari oportere.

§. I.

Rationes seu artes nonnullæ, ad eam diem peculiariter celebrandam, accommodatæ.

Dies sexta cujusque hebdomadæ, tum ipsâ temporis ratione (quod eâ die Salvator noster crucem ac mortem nostrâ causâ subijt) tum vetustissimo Ecclesiæ instituto, usque fidelium, commemorationi Dominicæ passionis specialiter consecrata, non est absque aliqua ejusdem passionis memoria, aut cultu proprio, transmittenda.

Eâ gratiâ potes in primis, eâ saltem die, matutinis horis piæ cruciatuum Salvatoris commentationi partem aliquam temporis tribuere, aut aliquid de ejus argumenti libello legere; quo patientis Christi recordationem in te excuscites, atque inde conceptum dolorem compunctionisq; sensum, in reliquum diem retineas.

Speci-

Speciatim autem in Missæ Sacrificio (quod, si Sacerdos sis, & per leges Sacrorum liceat, de Cruce aut Passione Domini celebrare poteris) debes vivam tibi Dominicæ necis imaginem ob oculos ponere; eoque præsertim die statis illis divini funeris exequijs, cum magna animi attentione, & pietatis significatione adesse.

Deinde ad eam Dominicæ mortis memoriã, seu expressius testandã, seu efficacius retinendam; peculiariter in temetipsum collectus, non modò consvetas culpas studiosus cavebis, verùm etiam, quasi unum aliquem charorum amillum lugeres, vitabis argumenta lætitiæ, & non necessarias relaxationes animi; quoad tibi quidem per vitæ tuæ rationes licebit. Fugies igitur eã die ludos, choreas, convivia; detrahes aliquid de cultu ornatuque corporis; delicijs etiam, licet innocentibus, abstinebis. Quo in genere præeuntem habes S. Francorum Regem Ludovicum, qui *Gaufr. in* sextis ferijs nolebat liberos suos, rosis aut omnino floribus *Vit. c. 13.* coronari; quòd Caput nostrum eã die spinis coronatum, meminisset. Itẽmque sacrum Purpuratorum Patrum Collegium, qui suæ adversus Christum patientem religioni testificandæ, ijsdem ferijs non consvetã vestem pupuræ, sed violaceis (quod eis luctus argumentum est) utuntur.

Neque hic omittendum præceptum illud, quod inter cetera Sveciæ Regi per S. Birgittam ex ore Christi traditum *l. 8. c. 2.* est; eadem feriã stipem aliquam erogandam in pauperes. Hoc, opinor, respectu: quòd cum eã die ipse Rex Regum Christus, sanguinem suum omnem pro redemptione nostra liberaliter effuderit; par sit, ut ipsius amore, eumque imitandi studio, si non sanguinem fundimus, at nummos saltem pauculos in ipsius membra dividamus.

Postremò assumes poenam aliquã afflictionẽve corporis; quò & eam diem religiosius observes, & aliqua ex parte assimileris Christo patienti.

Christiani olim, jam ab initio nascentis Ecclesiae, sextam feriam legitimo jejunio celebrabant (ex quo hodie sola carniū abstinentia remanserit) ut constat ex Patribus antiquissimis, Ignatio, Tertulliano, Epiphano, &c. Quem etiam jejuniū ritum observant passim Ordines Religiosi; & nonnulli quidem, pane tantum & aqua adhibitis: ut de suis monachis testatur S. Petrus Damiani; docens, eā die, qua (ut ipse ait) *pendentis in cruce Domini glorioso sanguine purgatur*, ejusmodi poenam convenienter assumi: quia (inquit) *in hoc cruce verè communicamus, in hoc procul dubio Christo commorimur, si hoc eodem die quo ipse passus est, etiam carnem nostram per inedia cruciamenta mactemus.*

Ep. 14.

Quin & plures infantes constat, divino magisterio, vel semel tantum eā die lac admisisse; ut de S. Nicolao notum est, cui Sisennium quendam Episcopum adjunxit Drexelius noster; vel omnino alimento abstinuisse, ut de Stephano Diensi Episcopo refert idem autor in tractatu quem Aloën inscripsit.

l. 1. c. 11.

§. 3.

Vit. c. 1.

Cui addere licet, recentius ævi nostri exemplum, supra memoratam Pudentianam Zagnoniam; de qua præterea illud est propriè commemorabile: hanc scilicet infantem, omni sextā feriā, non tantum cibum omnem detrectasse, sed insuper totam eam diem, alimenti vice, perpetuo ploratu duxisse; cum dies reliquos esse soleret pacatissima.

Quòd si eam diem jejunio colendi, tibi aut facultas deest aut animus; saltem re aliqua, quamvis exigua, tibi subtracta, patientis Christi memorem animum eo pacto testare.

§. 2.

Artes aliqua rariores, eodem pertinentes.

Atamen omittis alijs, eā die passim usitatis, sese afficiant di rationibus; alias quasdam referre juvat, quas excogita-

gitarit Sanctorum ardor, ac studium Christi cruciatus participandi.

Nam quidam, memores fellis & aceti, quod Christo in cruce stienti propinatum est, eà die amarore aliquo gustatum suum inficiebant & exercebant: veluti de S. Alberto Confessore ex Ordine Carmelitarum, accepimus; qui *Vit. c. 6.* ad panem, quo solo tunc vesceretur, condimenti loco absinthium adhibebat. Sanctam quoque Birgittam legimus, *Vit. c. 11.* eadem ferià amarissimam herbam in ore tenere solitam: quod item poenæ genus consuevit de se sumere, si quando verbum aliquod minùs consideratè protulisset. At Simon Sacerdos Valentinus, ex eodem Christum imitandi desiderio, ferià sextâ majoris hebdomadæ acetum felle mixtum, exorbebat. *In Vit.*

Rursum eadem S. Birgitta, sextâ qualibet ferià, ex ardente cereo guttas ignitas in carnem suam eliquabat, sic, ut *Bulla ca. noniz.* cute exustâ & pustulatâ, diu restarent vulnerum vestigia; quæ tamen si ante proximè recurrentem sextam feriam non nihil obduci viderentur, eadem, unguium impressione, ne perfanarentur, exulcerabat. Sanctus autem Franciscus, cum diebus alijs, dolori leniendo, carni suæ impressa sacra *IV ad. an. no 12 24. n. 27.* vulnera fovere panniculis soleret, totam eam diem ab ipsa vespera præcedente, abstinere eo delinimento, ut hac ratione Christi crucifixi dolores magis experiretur.

At quid de his dicam, qui ex summo in Christum crucifixum amore, id multis precibus ab eo contenderint, impetrarintve, ut qualibet sextâ ferià recurrente, partem aliquam eorum cruciatuum, quos eà die ipse sustinisset, perferent? uti de Philippa Geldra jam docuimus; quæ eà ferià, prodigiosos lateris experiebatur cruciatus. Similiterque è Societate nostra P. Bernardus Colnago, omni ferià sextâ sentiebat itidem dolores lateris acerbissimos; itemque quoties de passione Domini concionaretur. *l. 1. Vit. c. 12.* Maria

ROY
UPPLIO
VI

ria Carafa P. N. Vincentij mater obtinuerat divinitus, ut eadem die acrem capitis dolorem perentisceret; perinde atque si spinarum aculeis compungeretur.

Quibusdam etiam pijs feminis concessum scimus, ut ea die & per eas horas, quibus Christus in cruce suffixus jacuit, & ipsa immota ac velut exanimis jacerent, non tantum interiorum Christi dolorum participes, sed ipsa etiam externa specie Crucifixo conformes; brachijs nimirum rigide in altum protensis, contractis manuum articulis, pedibus quasi ad confixionem dispositis, omni denique corpore, Crucifixo in morem, immobiliter extento & occulta vi obrigefcente.

Vit. c. 17.

Memorata Soror Pudentiana Zagnoni eam totam diem summis afflictabatur doloribus, & in quodam quasi suppliciorum torculari comprimebatur. Ei distendebantur membra omnia, velut in equuleo, torquebantur viscera, amarefcebant os, arefcebant palatum; vix ut eo die cibum aliquem capere aut retinere posset.

Vit. c. 34.

B. Coleta eadem die, spatio horarum duodecim, commeditandæ passioni Christi tam efficaciter intendebat animum, ut sæpenumero præ doloris vehementia, in manibus, pedibus, ac latere, ipsa sibi revera clavis ac lancea confixa videretur. Quotidie autem hora meridianâ, quâ Christus pro nobis crucifixus est, angore cordis conflictabatur acerrimo: solita proinde ad id temporis, abs hominum usu atque conspectu subducere se; quò dolores suos, vel secum ipsa secretius sufferret, vel cum Sponso suo liberius familiariusve conferret.

l. 2. c. 7.

Neque omittendum quod de Catharina Riccia ex Ordine S. Dominici in ejus Vita testatur Seraphinus Razzius: eam ferijs sextis in mentis excessu & arcana passionum Christi contemplatione positam, singulos Sponsi sui cruciatus, iisdemque horis cum illo expertam esse; poenarum etiam velli.

vestigijs quandoque in Virginis corpore evidenter restantibus. Ex quibus alijsque prodigijs facili conjectura ducitur; specialem illam & efficacem passionis Christi feriã sextã memoriã, ipsi Salvatori mirum in modum acceptam esse. Quod quidem studium, ita sibi familiare fecerat Vbertinus de Casali, ut de semetipso ita scripserit: *Omnes dies Veneris videbantur mihi, non memoria, sed presentia IESU passionis & mortis.* Prolog. 1. Arb. Sic. cruc.

Ad extremum non omittam dicere: ex simili, adversus hanc ipsam, Christi passione ac morte consecratam, diem, religione profectum, ut nonnulli Christi amatores hac eadem die vitam claudere optaverint. Quam rem inter alios, uti votis frequentibus vivens expetierat supra memoratus P. Colnago, ita denique obtinuisse (idque cum eo corollario, ut eadem etiam hora, qua Christus creditur mortuus esse, decederet) testis est ejus Vita. Vit. l. 1. c. 12. Phil. Ferrar. 16. April. At B. Joachim Senensis, Ordinis Servorum B. M. in ipso die Parasceves, uti expetierat, defunctus est.

CAPVT XV.

Sacras (quas appellant) Christi patientis Stationes, suis temporibus religiosè obire.

§. I.

Ejus religionis ratio ac finis proponitur.

Stationum passionis Christi nomine hic intelligimus, Sacella quædam aut ædiculas, certis ac præcipuis mysterijs passionis Christi dedicatas; quæ nonnullis in Provincijs, ac nominatim in varijs Belgij Urbibus, per mœnium ambitum aliãve loca opportuna ita sunt dispositæ, ut ijs ferè intervallis inter se distent, quibus compertum est Ierosolymis distare loca, in quibus reipsa ea mysteria contigere. Quod qui-

quidem iter, velut passibus Christi Domini consecratum, à cujusvis ordinis, sexûs, ætatis hominibus, videmus (præsertim qualibet recurrente sextâ feriâ) religiosè obiri, & ipsas sacras Stationes seu Sacella sigillatim piâ & mysterio consentaneâ precatone salutarî, nec minore fructu quàm frequentîâ celebrari.

Cùm enim communiter non liceat, ea ipsa loca, quæ Dominus Jesus, vel suo sanguine rigavit, vel suis cruciatibus & opprobrijs dedicavit, coràm visere, & tantarum rerum inibi gestarum, velut præsentium, contemplatione, oculos ac mentem pascere: dulce est animæ IESU amanti, eorum saltem expressa simulacra, ob oculos posita & quasi ad manum habere; quorum conspectu, amabilem eorum, quæ ille quoquo loco passus est, memoriam exsuscitet, ac suam in IESUM devotionem acuat, reaccendat amorem.

Quo in argumento principem locum ac celebritatem facilè obtinet montis Varalli solitudo, in Galliâ cisalpinæ Helvetiorùmque confinijs; quam anno Domini 1493. ex sacro Ordine Minorum B. Bernardinus Caimus, Ierosolymis redux, ut ijs in locis speciem quandam terræ sanctæ repræsentaret, Sacellis compluribus per eum montem sparsis, & ea quæ gessit tulitve Salvator bellè referentibus instruxit; adjuncto sepulcro Dominico ad exactam Ierosolymitanî similitudinem. Ea quippe fertur esse ejus loci cum summa amœnitate religio, is sacrarum ædicularum cultus & elegantia, ea mysteriorum, quæ opere præsertim anaglyphico repræsentantur, propè ad vivum expressio, ut eo quidem in genere, nihil ad Christi passionem tanquam oculis subijciendam concinnius, nihil ad animorum motus ex Christi dolorum contemplatione concitandos aptius, fingi posse videatur.

*Giuffan l. 5.
Vit. c. 6.
Et l. 7. c. 11.*

Quamobrem & S. Carolus Borromeus, post salutatam Taurini sacram sindonem, eò quoque divertit, & loca singula

gula, magno cum pietatis sensu & animi sui voluptate lustravit. Quin etiam extremo vitæ tempore, perceptos olim ex ea sancta solitudine fructus regustare volens, atque ad mortem (quam sibi propinquam prælagire videbatur) se componere; montem Varallum repetijt, ibique dies complusculos, pijs se commentationibus exercuit: donec ex vehementi corporis animique contentione, ea concepta febris est, quæ virum sanctissimum demum abstulit, & beatæ transcripsit immortalitati.

Exactam ipsius montis Varalli descriptionem profert *p. 2. ProG. Mediol. c. 21* Franciscus Gonzaga in origine Religionis Seraphicæ: & nonnulla tangit Lucas Wadingus in Annalibus; illud etiam addens; fuisse multos, qui rebus humanis abdicatis, eo in monte ætatem omnem Christi mysterijs contemplandis, consumpserint.

Celebratur item in Polonia, haud Cracoviâ procul, mons Calvariæ; itidem ad Jerosolymitani formam à Palatino quodam Cracoviensi magnificè pièque adornatus. Nam cum ejus montis positionem animadvertisset, cum eorum situ locorum in quibus passus est Salvator, bellissimè convenire, eum ipse locum, tum alijs sacris Urbis Jerosolymæ monumentis, tum inter alia septenis ædiculis, septem Christi patientis Stationes referentibus, instruxit, servatâ locorum ab invicem justâ distantia; adjecto etiam Fratrum Minorum de Observantia religioso cænobio. Isque adeo locus, varijs Summorum Pontificum Indulgentijs ditatus, magno concursu ac religione frequentatur. Montis ejus topographicam descriptionem invenies apud Georgium Braunium, in theatro Urbium lib. 6.

Verùm ea quam dico, sacrarum passionis Christi Stationum religio, non modò in locis publicis, omnibusque communiter pervijs, plerasque per Vrbes proposita est; sed etiam intra Cænobiorum septa, recepta; quorum vel por-

C c ticus

ticus vel etiam hortorum ambulationes, sacris illis cruciatuum Christi monumentis passim instructæ visuntur; & si non omnibus ubique, saltem primarijs nonnullis; ut hinc Christum in horto orantem affabrè elaboratum videre sit, illinc Crucifixum in monte Calvariæ, &c. Quò nimirum fiat, ut ea loca obambulantis animus, simul aurâ sese amœniore recreet, simul spiritum quendam sanctitatis hauriat; & sacram tanquam peregrinationem instituens, atque ad hæc Christi patientis monumenta divertens, eadèmq; brevi precatiunculâ salutans, eam à studijs gravioribus remissionem, in gratam quandam religionis exercitationem convertat.

Vit. c. 27.

Amant enim religiosæ mentes, ipsa etiam avocamenta sua, & sanctiorum curarum intermissionem, aliquo semper pietatis quasi intinctu condire; illudque student, quoad licet, quod in S. Martino commendat S. Severus Sulpitius: Hunc nimirum etiam inter legendum, aut si quid forte aliud ageret, nunquam prorsus animum ab oratione laxasse: verùm (quod ejusdem Sulpitij elegans dictum est) *ut fabris ferrarijs moris est, qui inter operandum, pro quodam laboris levamine incudem suam feriunt; ita Martinum, etiam dum aliud agere videretur, semper orasse.*

Numerus porro ac series mysteriorum quibus Stationes prædictæ insigniri solent, si quis fortassis imitandi gratiâ nosse cupiat, ita ferè est: *IESUS orans in horto. Comprehensus à Liſtoribus. Coram Caypha accusatus atque percussus. Illusus ab Herode. In Prætorio flagellatus. Spinis coronatus. A Pilato productus ad populum. Bajulans crucem. Crucifixus. In monumento positus.* Tameñ nonnulli plura mysteria, alij pauciora adhibeant.

§. 2.

Qua praesertim forma in illis obeundis servari possit.

JAm ut rationem nonnullam modumve, qui in sacris illis Stationibus adeundis, servandus videatur, suggeram:

Primo loco mihi monendus es, hoc quidquid est religiosae exercitationis, non ad nudam tantum eorum mysteriorum recogitationem aut memoriam, sed ad nonnullum etiam Dominicae passionis experimentum institutum esse. Quamobrem si vel itineris quantulaeunque longitudo, vel viarum incommoditas, vel aliqua coeli inclementia, quidpiam tibi molestiae attulerit; soletur te ea cogitatio, quod hac ratione partem aliquam delibes incredibilis laboris, cum quo olim Salvator noster, vel sudore cruento etiamnum madens, vel vigilijs sitive deficiens, vel jam innumeris confectus plagis, & sua insuper cruce gravatus, eadem spatia emensus sit. Ita enim gaudebis potius, Domino sic laboranti, etiam cum aliquo labore tuo, passus associare; neque temere, aut ex causa qualibet, susceptam semel religionem omittes.

Secundo: eandem ob causam sunt qui nudis pedibus, praesertim autem sexta feria, sacrum hoc iter conficiant. Quo loco memorandum succurrit Fratris nostri Joannis Berchmanni, in aetate tenera ingenuae pietatis commentum: qui cum, etiam puer, ferijs sextis ad diei vesperum, passionis Christi Stationes religioso studio circumvisere solet; quos in eum usum adhiberet, calceis, inferne soleam detraherat; ut & nudis pedibus ingrediens, suo, aliquid pro Christo patiendo, desiderio satisfaceret, & pedibus supernè obiectis, hanc animi sui devotior è verecundè dissimularet.

Nonnusquam autem intelligo hanc inter pios invaluisse consuetudinem, ut calceolis cilicinis intra consuetudum integumenta adhibitis id iter exequantur; occultam

mortalium oculis, sed divinis perspecta atque accepta, pietate.

Tertio: id valde studebis, ut hæc Domini passibus sacra spatia, non otiosa aut sterili ambulatione, sed magnatum corporis modestia, tum mentis etiam in rem presentem attentione transmittas. Sive interim juvet, Rosarium Virginis, cum propria eorum mysteriorum, quæ ad Filij passionem Matrisve compassionem pertinent, consideratione, percurrere: sive sola mente in recogitandis Dei tui doloribus occupari; præsertim autem insistendo ei articulo, quem proxima Statio tuæ subijcit contemplationi.

Juvabit etiam, acrius quandoque speculari, quid ad id temporis locive Salvator cum animo suo reputaret, quo inter hæc mentis habitu, qua oris totius compositione esset; quo animi sensu identidem aspiceret ad Patrem, ejus se nutibus amantissimè subijciens, eum nobis conciliare studens, & vel ad his majora supplicia, si ejus gloria aut salus nostra ita postulet, promptum se ac facilem offerens. Quamobrem tu quoque ijs suppare sensus indues; teque vicissim, amantissimo Domino, ad aspera quæque pro ejus honore, toleranda, paratum exhibebis.

Quarto: finges subinde te, à S. Angelo tutelari tuo, ad eas sacras Stationes deduci: quemadmodum legitur B. Lydvinam nonnunquam à S. Angelo ad loca terræ sanctæ visenda & potissimum Calvariæ montem, mirabiliter rapti, & per ea deduci solitam. Neque verò dubitandum videtur, sanctum illum custodem tuum, tuâ illâ in communem Dominum pietate delectatum, libenter se tibi eo in opere comitem præbere, eosdemque tecum passus conficere: ut eum meritò spectare possis velut loca singula commostrantem, & quodammodo tibi dicentem, quod alter Angelus dicebat sanctis mulieribus: *Venite & videte locum, ubi positus erat* (vel, ubi hoc illudve passus est) *Dominus.*

Aut

P. 3. Vit.
cap. 3.

Matt. 28.

Aut illud quod olim Moyſi: *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in horto, in prætorio, in Calvaria monte monſtratum eſt.*

Aliàs autem reputabis id tibi præſtari à B. Virgine Dei Matre: quam utique huius exercitij ducem ac magiſtram, adeoque & præſidem licet agnoſcere. Quippe quæ ad id præire exemplo, ejuſque nobis tanquam formam præſcribere viſa ſit; dum (velut antea ex Patrum mente docuimus) poſt Filij ſui in cælum aſcenſum, frequenter ſolebat, loca ipſius ſacris veſtigijs aut doloribus nobilitata reviſere; & quod loco quolibet ille aut egiſſet aut paſſus eſſet comitibus ſuis commemorare; & hoc vel mortalis peregrinationis ſuæ diverticulum, vel orbitatis ſolatium habere.

Aliàs denique ipſum JESUM Chriſtum, ut per eas vias ad ſupplicia tendentem, conſectari cogitatione potes; velut illi propiùs aſſiſtens, ijsdémque quaſi veſtigijs incedens. Modò autem illum aſſectaberis, ut filius patrem, ut diſcipulus magiſtrum, ut Aulicus Regem, ut ſervulus Dominum, ut peregrinus ducem, ut æger medicum, ut ovicula paſtorem: modò te reputabis, vel cum Simone Cyrenæo crucem poſt illum portare, aut illius ſaltem extremum contingere ac ſuſtinere, vel cum B. Berenice, ſudarium illi, vultui abſtergendo, offerre; vel cum Joſepho & Nicodemo defunctum jam de cruce deponere, tumultuè componere, vel aliud quidpiam pij obſequij vivo mortuève deferre. Hinc enim naſcetur piorum affectuum varietas, dulces animi ſuſpirationes, & ſuavia cum Chriſto colloquia: quibus non levis modò, ſed jucundus etiam evadet, ſiquis erit, itineris labor; & reſectus tibi ſpiritus, ad adverſa vitæ ſufferenda, mirum in modum roborabitur.

Quintò demum, ad ipſa paſſionis Dominicæ monimenta, tanquam (ut dicebamus) ad opportuna quædam animæ peregrinantis diverſoriola, ſingulatim deſlectens; effun-

des

des coram amantissimo Salvatore cor tuum, gratias agens quòd tua vermis ingratissimi causâ, hoc illúdvē supplicium quod quæque Statio repræsentat, tanto amore subire dignatus sit; commendânsque illi animam tuam, & per hanc passionem enixè rogans, ne tantus labor pro te susceptus, cassus sit, aut sanguis ejus tibi in vanum effusus: quam in rem extant certæ quædam precandi formulæ, unicuique Stationi congruentes. Atque ad idem utiles esse possunt, nonnullæ etiam ad Jesum Endologiæ Blofianæ, quæ facillè ad propria Stationum mytheria accommodabuntur.

Ad extremum ab eo spectaculo percutiens pectus revertere, atque ardenti quodam incensus desiderio, propensius ei, qui tuâ causâ tanta passus sit, in posterum serviendi.

§. 3.

Quandam ejusmodi sacrarum Stationum speciem posse ab unoquoque privatim sibi constitui.

Sed quoniam non ubique locorum, ejusmodi passionis Christi Stationum usus aut copia est; facillè erit Crucifixi amatori, rationem aliquam excogitare, quâ eas privatim sibi constituat, in iisque sese pro libitu & affectu exerceat.

Primum enim potes, illas solâ sibi imaginatione construere; sumptis ad id locis idoneis, quibus has illasve passionis Christi partes assignes, earumque imaginibus, solâ mente effectis atque affixis, loca singula insignias. Nam has ubi semel vivâ cogitatione unicuique loco alligaveris, & rei totius constructionem usu aliquo confirmaveris; perinde tibi promptum fuerit, ipso locorum admonitu in memoriam venire cujusque mytherij, & sensus cuique accommodatos accipere, atque si reipsâ earum rerum formis aut simulacris loca singula essent inscripta.

Proinde hac arte invenio virum sanctum Henricum Susonem mirificè usum atque adjutum fuisse. Hic etenim prout

prout in ejus vita scriptum est, noctibus singulis, post im-
plerum cum fratribus Matutinum officium, Cœnobij am-
bitum (quem vocant) eique vicina quædam loca obibat, *Vit. c. 15.*
quibus ipse solâ mentis designatione, certa passionis Christi
mysteria attribuerat atque impresserat, exorsus ab ultima
cœna, p̄rque omnes suppliciorum gradus ad montem usq;
Calvariæ progrediens; ubique veluti Christum affectans,
ac passuum ejus vestigia exosculans, tam vivâ atque efficaci
rerum specie, ut Christum ipsum coram cernere, ejusque
ad mortem tendentis adherere lateri videretur.

Nec absimile multum, tametsi id retrusum magis, nec
cuivis svadendæ aut usurpandæ industriæ est, quod de Vene-
rabili Simone Valentino proditur. Qui nempe sextis fe-
rijs solebat, antelucanis horis aut vespertino crepusculo,
eam Urbis viam, quæ facinorosos ad patibulum duceret, so-
litaris ac mœstus ingredi, int̄rque eundem comploratio-
ne ac gemitu loca omnia complere, perinde ac si Dominum
Iesum, ad feralem Calvariæ collem, tractum confectaretur.
Evenitque aliquando, ut piæ servi sui sedulitati, seu appro-
bandæ seu memorandæ, ipse Dominus inter vias ei se spe-
ctandum præberet, eo habitu apparatusque, quo vel reipsâ
ad Calvarium ductus esset, vel inter ipsa crucis supplicia
versatus.

*Vider. in
Vita.*

Deinde (quod obviæ magis & facilioris est operæ) po-
tes, si ita res tulerit, vel intra secretum cubiculi tui, hoc
quidquid est piæ exercitationis exequi; ejus parietes instru-
endo dispositis circum per intervalla pijs Christi passi ima-
ginibus: quas deinde quando aut quoties libuerit, nullo
obstreperente, nullo interpellante, nullo (extra Deum & Cœ-
lites) conscio, animi potius quam pedum passibus (quan-
quam & his etiam) obeas, ad quas pronus accidas, quas
prece aliquâ seu voce seu mente conceptâ, piâque ad extre-
mum osculatione, devenereris, eoque captando velut spiri-
tuali refrigerio, partem aliquam temporis transmittas.

Et simili aliquo exercitij genere, intra cellæ suæ solitudinem usam esse B. Ritam, indicavimus.

Quæ sanè privatarum Stationum ratio, his præcipuè conveniet Virginibus, quibus sive per vitæ conditionem, sive per parentum arbitrium, sive per sextus verecundiam, morémve patrium, ad publicas illas minùs prodire licuerit. In quas illud quadret verbum B. Hieronymi, S. Virgini Eustochio, ne visitandi Martyrum reliquias, aliùsve similis religionis obtentu, foris vagari appetat, in hunc modum præcipientis: *Rarus sit egressus in publico: Martyres tibi (addo ego, & Stationes) quarantur in cubiculo tuo.*

Ep. 27.

Postremò, ut alia desint, nihil est sanè quò minùs, saltem spirituali ratione, ejusmodi Christi patientis Stationes in corde tuo quodammodo constituas & ædifices, animùmque eorum mysteriorum imaginibus insignitum, tanquam ipsa Christi cruciatuum loca, assiduè tecum circumferas. Quò item spectare videtur, illa antè à nobis memorata religiosissimi Abbatis Blossij hortatio: *Depinge mentem tuam suavissimis imaginibus passionis ejus, & floridam Dominica crucis arborem planta in medio cordis tui.*

Spec. spir.
c. 10.

Ita videlicet, ut cor tuum tibi sit pro colle Calvariz, pro horto Gethsemani, proque alijs mysteriorum locis, quorum cordi inditis atque infixis imaginibus, animum tuum instruxeris.

Vit. c. 36.

De B. Coleta Ordinis S. Claræ reformatrice ita scribit autor ipsius vitæ: *Loca sancta quæ Christus suà presentia olim in terris degens mirificè sacravit & ornavit, cum multà reverentia & devotione habebat impressa cordi suo.* Eodemque pertinet illud B. Hieronymi: *Felix qui crucem & resurrectionem & locum Nativitatis Christi & locum ascensionis portat in pectore suo.* Et infra: *Beatus qui Betlehem habet in corde suo, in cujus corde Christus quotidie nascitur, &c.* Et nonne passionis & nativitatis loca in corde suo portabant BB.

in ps. 95.

BB. Virgines, Clara de monte Falco & Margarita de Castello? in quarum dissectis cordibus, hujus quidem Christi in stabulo nascentis tribus in lapillis effigies, illius autem passionis ejusdem insignia omnia, expressa inventa fuere.

Vita. c. 8.


Tandem quod aliqui cum B. Alberto Magno homini spirituali præcipiunt, ut Iesu crucifixo templum in corde suo exædificet; hoc in rem nobis propositam ita licebit extendere: ut, quod in sacris Basilicis fieri assolet, in quibus præter aram principem, plura per circuitum Sacella, alijs atque alijs Cœlitibus dedicata conspiciuntur; idem nobis in hac interioris templi ædificatione servandum existimemus. Erigatur sanè ara princeps quæ Iesu Christo crucifixo sacra sit, & ipsum nobis repræsentet Calvariæ montem: at plura per ædis ambitum constituentur Sacella, reliquis passionis mysterijs accommodata & consecrata. Ut has domesticas & penetrales Stationes circumgestans, ad eas, ubicunque fueris & quoties volueris, te referas; atque in iisdem piâ cogitatione collustrandis, sive in quacunque vitæ necessitate familiare perfugium, sive inter occupationes & turbas, jucundum secessum invenias.

Vit. Franc.

Calet. c. 20.

Et o beatum illud Spiritus S. templum (exclamat in argumento simili Guilielmus Abbas in suis meditationibus) de quo exaltatum in cruce Christum nulla exterminat oblivio, & recens semper decurrit sanguis in salutem credentis & amantis, & jugiter operatur quod postulat Prophetæ: Redime me, & miserere mei! Toties enim redemptionis nostræ in nobis celebratur effectus, quoties eam recollit pius supplicantis affectus.

Tale aliquod templum in corde suo ædificare studebas, aliàs à nobis memoratus P. Petrus Faber, uti proditur in ejus vita.



CAPUT XVI.

Quid in actibus vitæ quotidianis, aut nonnullis oblatiis occasionibus, amatori Crucifixi faciendum.

Congerimus in hoc extremum caput farraginem & quasi silvam minutiorum quorundam exercitiorum, quibus actus vitæ quotidianos excolere, diemque totam IESU crucifixi memoriâ velut consignare & consecrare valeamus.

§. I.

Silvula variarum præceptionum ad usus vitæ quotidianos attinentium.

PRIMO igitur ut à prima luce ac diei exordio rem auspicemur: Cùm primùm manè evigilas, aut cubitu surgis, mente ad divina continuò versâ, Crucifixum adora, gratias agens, quòd te per eam noctem, & corpore incolumem, & peccati immunem servaverit: offer ei teipsum, & futuros ejus diei actus tuos, commendans illi vicissim animam tuam, eumque per mortem & passionem suam obsecrans, ne te eâ die in peccatum labi permittat. Quam in rem utilis esse potest hæc precario, ex S. Birgittæ revelationibus desumpta: *Precor te, piissime IESU, ut miseraris mei, qui in cruce stetit sanguineus & dolorosus. Et rogo te, per quinque vulnera tua, & per dolorem qui de venis tuis perforatis ad cor processit, quatenus conservare me digneris hodie ne cadam in peccatâ.*

Eandemque Christi patientis memoriâ, repetito aliquo simili affectu, utilissimum erit, ad horas singulas (quoad ejus fieri poterit) renovare: ad horæ signum cruce recognando, & facili aliqua aspiratione ad Crucifixum te convertendo; illudque speciatim animo versando, quid hæc illi-

illave suae passionis horam; Christus egerit aut passus sit: uti jam antea indicavimus.

Secundo: cum cibum sumis; juxta quod in libro Ruth dicitur, & supra de cibo Eucharistico monuimus; intinge buccellam tuam in aceto; memor esto, inquam, aceti & fellis, quibus Christi gustatus infectus & cruciatus est: omnem escam tuam passionis ejus memoriâ condire & temperare consuesce. Aut (quod sublimius Abbatis Blosij præceptum est) dum corpus cibo & potu reficis, buccellas quas sumpsisti, devotâ cogitatione intingas in purissimum sanguinem illius (si non impedis) & haurias potum ex roseis vulneribus ejus.

*Inspir. spir.
cap. 6.*

*Marg. spir.
p. 1.*

Idemque alibi, tanquam ex Joanne Taulero; cum illud præmississet: eum qui Deo placere cupit, etiamsi externis negotijs & exercitijs occupetur, nihilominus amabilem incarnati & crucifixi Filij Dei imaginem animæ suae impressam servare debere, ad quam identidem internos oculos amanter ac placidè convertat; tum ita subdit: *Si comedit, & impedimentum nullum patitur, buccellas amoroso ac fervido Domini IESU sanguini intingat. Si bibit, potum suum ab illo benedicat, & se ex sacris ejus vulneribus potare cogitet. Si dormit, super cor illius saucium ac suave sese reclinet. Si loquitur, illum sibi adstare, verba sua attendere, & intentionem suam inspicere imaginetur. Atque hoc modo se totum in præclaram hanc imaginem immergat.*

Ethi paria tradit Henricus Harphius in Schola Sapientiae: ubi cum itidem generatim id præcepisset: ubicunque imaginem Jesu Christi circumferendam; tum similiter exempli causâ nonnulla ponens: *Si comedis, inquit, intinge buccellas singulas in plagas ejus. Si bibis, memento fellis, quo in cruce potatus est. Si manus aut corpus abluis, memento sanguinis quo animam tuam lavat. Si cubitum concedis, frange tibi crucis lectulum, & caput tuum super pulvinar coronæ spinæ reclina.*

*Classe 1.
c. 5.*

Prolog. 1.
arboru &c.

Demum apud Vbertinum de Casali, varias item considerationes inuenies; quibus illi, inter vescendum, sese Christo ejusve Matri veluti convivam adjungeret; ut, exempli gratiâ: *Die Veneris* (inquit) *comedebam panem doloris cum ipso, miscendo spinas, clavos, & lanceam & sanguinem morientis IESU, & bibebam aquam de aperta vena cordis ipsius.* Item: *Die Dominico cum IESU benedicto in medio discipulorum comedebam, & dulciter cum Thoma palpabam vulnere resurgentis.* Et ita per dies reliquos hebdomadæ, quos semper aliquâ novi exercitij vicissitudine variabat.

Cæterum hic rectè ad extremum admonet Ludovicus Blosius: introversionem hanc (uti appellat) cum discretionem colendam, ne caput lædatur, & natura destruat. Quod & nos quoque, ubi res postulare visa est, nec semel (opinor) ascetam nostrum admonuimus.

Tertiò: quando sub noctem lecto te committis quietis gratiâ, non sinè pudore ac verecundia id facito; hisce, temetipsum increpans: Hem! quantum dissidet torus iste à lectulo crucis! quàm dissimili strato cubant Sponsus & Sponsa! quanto molliùs præ Dei Filio & Rege gloriæ, traetor ego vile mancipium! ut qui in molli culcitra aut strato suaviter dormiam; ubi ille affixus præduro ligno, neque recubans sed pendens, non habet ubi caput reclinet.

Cant. 5.

Aut certè eundem in sensum illud Sponsa usurpa de sacro Cantico: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ego in molli strato somnum capio, & indulgeo quieti; interea dum dilectus meus, cor inquam meum, & vita mea, sive prolixâ prece noctem producit, sive inter sævas licitorum manus vigilare cogitur, sive in ferali cruce distentus, non quieti vacat aut somno, sed per summos angores animâ agit.

Cùm vestes ponis, memento cruentæ vestium detractionis & ignominiosæ nuditatis Dei tui; primùm flagellationis, ac demum crucifixionis gratiâ; ipsum obsecrans

per

per illam probrosam nuditatem, ut tibi prodigo ad eum revertenti redonet stolam primam sanctitatis & innocentiae; post verò induat te stolam gloriæ & immortalitatis.

Cum vestem resumis; veniat in mentem vinculorum ejus; item candidi aut purpurei vestimenti, quibus tuâ causâ per ludibrium obtectus est. Ab eo contende ut dignum te reddat, qui ijsdem cum illo vestibus induaris; hoc est, ut opprobrij sui atque contemptûs, contumeliarumque & injuriarum, te velit esse participem.

Si tibi per noctem somnus rumpitur, aut molestiore vigiliâ vexaris, fac, eas quas dixi Filij Dei vigiliis cogites; & quot ille noctes insomnes duxit in oratione Dei.

Sed illa præfertim subeat animum imago tristissima, supremæ noctis, quam inter militum & mediantinorum convicia, jocôsque perulantes, atque amaras insectationes, in domo Caiphæ acerbissimam expertus est.

Imitare B. Gertrudem, quæ cum noctem quandam pœne duxisset insomnem, & exinde sese multum debilitatam ac defectam viribus sentiret, eam virium defectionem Domino Jesu amanter obtulit, ad laudem ipsius æternam, *L. 3. c. 52.* omniumque salutem: quod equidem sibi fuisse acceptissimum ipse Dominus, verbis amantissimis, eidem continuo declaravit.

Denique suavissima est illa apud Joannem Lansper- *Pharetra*
gium, somno jam propinquante suspiratio: *Dulcissime IESU, dis. am.*
fac me requiescere super pectus tuum; da mihi trahere anhel- *l. 2. p. 10.*
tum sacrum de sanctissimo corde tuo, ut spiritus tuus suavissimus
influxat in animam meam, atque rursus totum spiritum meum
post se trahat, in se absorbeat, atque inseparabiliter sibi u-
niat, Amen.

Consequenter autem alio quodam in tractatu tibi suggerit idem pius Scriptor; ut dormiturus fingas te os tuum ponere super vulnus lateris Jesu Christi: *Et ibi (inquit) ef-* *Enchir. c. 8.*
flan-

flando retrahendoque spiritum (hoc est , aspirando & respirando) mentaliter dic IESVS. Verbi gratia , trahendo anhelitum, mente dic IE, emittendo verò, SVS; & ita singulis respirationibus toties dicas IESVS, quoties anhelitum trahis, donec obdormias. Sic ille. Cui similem aliquam cogitationem, scio etiam quibusdam alijs viris pijs incidisse.

Sed neque fortassis aspernandum, ut leve nimis, aut a quo operosioris industriae, quod hoc loco nonnulli ex quadam amoris ac pietatis in Crucifixum abundantia suggerunt; ut, quoad à nobis impetrare poterimus, brachijs aut manibus in crucis modum conformatis somnum captemus, & ita cum cruce & ipso Christo, piè ac dulciter obdormifemus. Quà ratione antea à nobis indicatum est, Mariam Raggiam, manibus in crucis morem compositis, crucem complexam, cum Sponso suo condormivisse.

§. 2.

Familiares alia, pro varijs rerum eventibus, exercitationes.

JAM quod ad alias occasiones variè subinde oblatas attinet, potes ad hanc formam in earum occurfu exerceri.

Si foras prodis, adjunge te Christo comitem: aut illum finge inter vias tibi occurrentem, sive quo habitu cum discipulis Jerosolymis egressus pertransijt torrentem Cedron, ad clivum Oliveti contendens; sive qualis onustus vinculis & satellitum medius, ad Caypham, Herodem, Pilatum raptatus est; sive quâ specie bajulans sibi crucem descendit Calvariae collem.

Quòd si propter viam fortè offendis defixam crucem; dic cum Ecclesia: *Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.*

Ad imaginem Crucifixi; dic, vivâ fide & cum animi sensu intimo: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* atque in manus ejus commenda animam tuam.

Si in pauperem incidis, si leprosus occurrit aut ulcerosus; agnosce in viva sua imagine Iesum pauperem & vulneratum: & subveni, si potes; si non potes, saltem commiserare.

Si cum aliquo apparatu ornatuque aut pompa prodis; reputa tecum quam miserando habitu Christus, Pilato eum producente, coram populo comparuit; & erubescere, te vilem terræ vermiculum, tam dissimilem videri Deo tuo.

Si aliquid obiectum fuerit quod sensus titillet, aut minus castas species ingerat; continuo oculos revoca ad Christum crucifixum, cuius amabilem speciem menti impressam circumferas; & illud ipse tecum dicito: Amor meus crucifixus est; deliciae meae, plagae sunt Salvatoris mei.

Si in homines incidis indignis vocibus, seu quocunque demum offensae genere, divinum Numen contumeliâ afficientes; commovere intimis sensibus, & dole ex animo, quod tot hominum sceleribus multiplicentur flagella Deo tuo. Illacryma, quod amor non ametur. Opta, vel morte tuâ & sanguine, redimere posse offensas Dei tui, tam indigna tamque acerba pro te passi.

Tandem si aliquâ injuriâ aut contumeliâ afficeris; recogita eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.

Si aliquâ laboras infirmitate: *Verè languores nostros Iſa. 53. ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Si caput dolet, recordare coronae spinis confertae. Si febris aëstuas; agoniae & sanguinei sudoris.

Quidquid erit denique quod asperi aut adversi occurrerit; tibi gratulare, quod tandem dignus habitus sis, qui aliquid cum Christo patiaris; *gaude* (quae B. Augustini vox *In ps. 54.* *quia inventus es in aliqua similitudine passionum Regis tui;* offer illud aeterno Patri unâ cum doloribus & passione Unigeniti; isto denique qualicumque patientiae tuae obsequio, Deo tuo illatas injurias supplere & compensare stude.

Hac arte facili, nec operosa (si quis saltem ad eam devotum animum & bonam voluntatem attulerit) magnum invenies solatium in adversis, robur in tentationibus; peccata vitabis, in virtutum studio multum proficies, multiplicabis apud Deum merita; & labores tuos operaque omnia, ipsa ad Christi passiones adjunctione, consecrabis & pretiosa facies, eritque vita tua perpetua quaedam Christi patientis meditatio; eique te gratum exhibebis, & (quod a te expectat) dolores illius certo quodam modo consolaberis, atque sancto amore Domini tui crucifixi magis ac magis inardesces.

Et quamvis ad hujus exercitij rationem ac vim demonstrandam, sufficiant fortassis ea capita, quae hic, loco exempli, & formae modo, sigillatim proposuimus; facere tamen non possum, quin & hunc alterum paragraphum adjungam, ad uberiores ejusce rei seu commendationem seu confirmationem.

§. 3.

Affines jam dictis, B. P. Francisci Borgiae ad usum eosdem commentationes.

INter opuscula B. Francisci Borgiae, quae etiamnum Dux Gandiae, ad sui aliorumque profectum scripsit, invenies exercitium isti quod proponimus non ab simile, quod ipse ait appellari posse: *Speculum operum Christianorum*; in quo singulis diurnis operibus, aut alijs ex occasione occurrentibus, breves quasdam assignat considerationes, quibus homo praesertim in vitae & mortis Christi commemoratione se exerceat, tria haec attendens per singula: *Primum*: ut se in singulis rebus confundat. *Secundum*: ut Deo gratias agat. *Tertium*: ut aliquid a Deo petat.

Atque ut nonnulla, quae potissimum huc pertinent exempli causam ponamus,

Cum

Cum oras (inquit) cubitum iturus; confundere, quod cum Christus in cruce tanto & amore & dolore preces fuderit; tu tamen parum ames, parumque doleas. Gratias age, quod moritur ille, & tu vivas. Pete, ut per eum dolorem, quem sensit ipse quidem moriens, ejus vero Mater morientem aspiciens, id nobis concedat, ut & in morte nostra mortis ipsius recordemur, & propter ipsius mortem, nostra sit aeterno Patri accepta.

Rursum: Cum te noctu vestibus exuis; confundere, quod requiescere in lecto vis, idque exutus vestibus, cum pro te Christus & indutus vestibus somnum cepit, & ubi reclinaret caput, non habuerit. Gratias age, quod ijs quae pro te passus est, tibi veterem hominem exuerit. Pete, ut per eum dolorem, quem sensit, cum vestibus crucifigendus exueretur, nos malis mentis habitibus & moribus exuat, ut nudi rebus terrenis crucem amplectamur, atque in cruce morientes nuptialem vestem mereamur, quam prae paravit aeternus Pater diligentibus se.

Ad quam ille formam reliqua deinceps exequitur prioris Exercitij parte. At in posteriori, breviori methodo plura conglobat ad pij lectoris informationem: de quibus etiam pauca juvabit apponere.

Cum stat (inquit) meminerit stantis ante Judicem Christi. Cum sedet; sedentis Christi, cum ei illudentes impij dicerent: *Ave Rex Iudaeorum*. Cum defatigatur; defatigati ex itinere Christi, & sedentis supra fontem. Cum friget; argentis in praesepio Christi. Cum fame premitur; ejus quam in deserto passus est. Cum sitit; in cruce sitiens. Cum dolore aut morbo gravatur; flagellis caesi ad columnam, spinisque caput cincti, atque in crucem adacti, ubi a planta pedis ad verticem, non erat in eo sanitas. Denique cum morti propinquus est, morientis Christi recordetur, atque in Patris manus spiritum commendantis.

E e

Atque

Atque ita in omnibus Christo, quem similia aut fecisse aut pati meminit, sese offerat. Ita ex his & similibus affectibus, magnum, qui se in charitate hoc modo exercebit, fructum referre poterit. Sic ille.

Quibus plura si quis voluerit, nonnulla ejusmodi reperiet etiam apud Joannem Lanspergium in Pharetra divini amoris lib. 1. parte 3. & 4. & præcipue lib. 2. parte 2. quæ (ut præfert titulus) complectitur in se exercitia effusionisque cordis, quibus anima quæcunque devota die noctuque sese ad sui abstractionem & introversionem possit exercere, atque ex singulis quæ occurrunt invenire vel materiam orandi, vel occasionem elevandi se ad DEUM.

